Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Daniel Major

Johann. Danielis Maioris, Vratislaviensis, De Nummis Graece Inscriptis Epistola : qua praecipue Paradoxum Clar. Viri, Henrici Henninii, (ac ante Ipsum Vossii utriusq[ue], & I. C. Scaligeri) Linguam Graecam non esse secundum Accentus Pronunciandam, Orbi Literato ulterius considerandum committitur

Kiliae Holsatorum: Richelius, 1685

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823230139

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823230139/phys_0001
DFG

1,

7-8.

Hierin dreißig acht Kupfertafeln und 1 Tabelle.

Nsm – 1388 1-18.

268

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn823230139/phys_0002
DFG

Conterta:

1. Electa rei nummariæ, c. fig.
2. Th. B. Bircherodi, Specimen antiquæ rei monetariæ Danorum, c. fig.
3. J. C. Klemmii, tr. de Nummis Hebræorum,
4. J. D. Major, de Nummis Græcæ inscriptis,
5. O. Sperling, de Nummorum bracteatorum et cavorum origine, c. f.
6. Jac. a Melle, Specimen Sylloges nummorum ex argento uncialium c. f.
7. C. Reyher, de Nummis ex chymico metallo factis, c. f.
8. D. Ringmacher de Nummis,
9. J. M. Heusinger, de veteris pecuniæ Germanicæ mapimæ Isenacensis pretio,
10. J. H. Schultze, de Nummis Thasiorum,
11. C. G. Jöcher, de Biante Prienæo in nummo argenteo.
12. J. D. Dietrich, de Nummi Ludovici XII. Gall. R. inscriptione: Perdam Babylonis nomen,
13. C. Löscher, de Nummo scortea,
14. D. Richter, de Nummis quibusdam aureis,

verte

15. Caroli V. Müntz-Ordnung de a. 1525. mit einigen Anmerckungen und einer Vorrede vom Müntz-Wesen.

16. M. Freheri und Jos. Scaligeri Commentationes über den grossen silbernen Pfennig Constantini,

17. Kurtzer Begriff eines Werckes: Silesia numismatica.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823230139/phys_0004
DFG

JOHANN. DANIELIS MAIORIS,
Vratislaviensis,

DE NUMMIS GRÆCE INSCRIPTIS

Epistola:

quâ præcipue Paradoxum

Clar. Viri, Henrici Henninii,

(ac ante Ipsum Vossii utriusq;, & I. C. Scaligeri)

Linguam Græcam non esse secundùm Accentus Pronunciandam,

Orbi Literato ulteriùs considerandum committitur; cum

APPENDICE

de suspectâ etiam, imò olim nullâ IOTORUM SUBSCRIPTIONE. v. pag. 65.

KILIÆ HOLSATORUM
Impensis Joh. Sebastiani Richelii, Anno. 1685.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823230139/phys_0009
DFG

Maximè Reverendo', Excellentisſimoque Viro,
Theologo ac Polyhiſtori é primis,

DN. JOHANNI DIECK-MANNO,

S. Reg. Suec. Mai. In Ducatibus Bremenſi ac Verdenſi Superattendenti Generali, & Conſiſtorii Regii Stadenſis Aſſeſſori longè graviſimo:

Fautori plurimùm honorando,

S. P. D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823230139/phys_0010
DFG

IN Fluviis æquè ac Mari, per intemperiem duplicis Elementi, Naves haut rarò subverti, notum est. Ad quod periculum declinandum, cum his diebus secundo Albis Flumine Hamburgo ferri differrem, accidit, ut mutando viam, Zephyrumque etiam alteribi experiundo minùs propitium, imò planè adversum, ab aliâ Ripæ parte, Auxilio NUMINIS, tamen trajicerem, & ad ulteriores Districtus Hadeliæ digessurus, Stadam vestram transferrer, bene madens ac frigens. Sed ærumnæ hujus sensu é vestigio me iterum exsuit, bihorio Tecum habita, *Præsul inclyte*, de rebus diversi Commatis confabulatio: hóc jucundior certè Mihi, quò ab Annis interrupta plusculis; hócque fideliùs & constantiùs memori animo recolenda, quò minùs ratum duxti, in eâ, quâ vivimus φιλοξενίᾳ præsentis Seculi, me tuum adeò rarum Hospitem, ex Amplexibus & Conspectu dimittere, nî dulces istos Affatus, tanquam gratum Palato obsonium, interjecto etiam quodam Munusculo, condires, ad demulcendam quomodocunque inexplebilem meam, Nummos veteres undique corradendi cupidinem, exhibens *L. Memmii Galli* Nummum argenteum bigatum, 29. magnitudinis, quoad pleraq; convenientem cum eo, quem *Fulvius Ursinus* (*in Familia Memmiâ, num. 5.*) & *Abr. Gorlæus* (*in Thesauro Numismatum Tab. 24.*) exhibent; eundemque *Serratum*, atque ideò mihi tantò acceptiorem, & inter selectiora Scrinioli mei Cimelia reponendum.

Nummus L. Memmii Gall.

De antiquis enim Germaniæ Populis nosti ex *Tacito* (*d. M. G. cap. 5. §. 6.*) quàm usque adeò illi jam tum exstiterint minimè simplices, ut potiùs, quandò commercia Sibi cum istis intercederent, quò minùs Nummi

malæ notæ Sibi adnumerarentur, pecuniam probarent non aliam, quàm veterem ac diu notam: *Serratos, Bigatosque.* Hoc est, ex Argenteis celebriores, & Limâ adactâ sulcatos in ambitu, ut dentatæ Automati Rotulæ redderentur quodammodo similes, & ignobilius Metallum, si quod forte sub laminâ superinductâ argenteâ delitesceret, conspectui se daret. Neque enim *Serrati* ideò dicti sunt, quod Serræ imaginem in alterutro latere sibi impressam gerant, ut *Rhenanus*, *Willichiusque*, citante *Kirchmaiero doctissimo*, (*Comment. ad l. d. p.* 96.) existimarunt. Quin affatim hinc patet, bonis Viris vix unquam conspectos fuisse Nummos ejusmodi. Quales verò uno plures mihi sunt, tam toti argentei, Consulares; quàm unus etiam cupreus, Larvâ argenteâ detractâ turpis, deceptor quondam, & mimicus. Et quoad illi crustam sibi inductam argenteam adhuc gerunt, *Subærati* vocantur, h. e. foris argentei, intus cuprei, quasi dicas Venerem, ut speciosiùs fallat, sub fulgido Lunæ amictu incedentem. Nec ad mangonium horum detegendum, Limâ semper opus est, Limbum undique sulcante; sed vel sponte etiam fucum latentem squamæ Argenteæ per ætatem exesæ aut detritæ, in hiatu relicto cupreo, satis produnt. Cujusmodi *subæratos* Limam nondum expertos etiam in Scriniis teneo. Romanum unum, Imperatoris Trajani, ac Tarentinum alterum, cum Juvenis, Delphino inequitantis, imagine. De quibus verò ut plura addam, nec Exspectatio Tua nunc fert, nec Epistolæ, maximam sui partem in Itinere conceptæ, scopus.

Nummi Serrati.

Nummi Subærati.

Quin id maximè intendo, ut in quo terminabantur nostra colloquia, in eo aliquantùm firmiùs calamum de figam,

figam, & grates persolvam publicè non minùs *Tibi*, quàm *Ingeniosissimo Henr. Christiano Henninio*. *Tibi* quidem, quod Egregii Viri Scriptum, inter eruditissima præsentis Seculi Scripta meritò reponendum, cui titulus ΕΛΛΗΝΙΣΜΟΣ ΟΡΘΩΙΔΟΣ, sive, *Græcam Linguam non esse secundùm Accentus pronunciandam*, *Paradoxum*, planè endoxum, prægresso Anno Chr. 1684. Trajecti impressum, Curiositatati meæ perlustrandum concesseris, tanquam tale, in quo reperturus essem nonnulla, ad illustrandas Cogitationes meas Nummographicas facientia. *Ipsi* verò, quòd primus quasi ac solus, cum irrefragabili (haut dubito) consternatione ac obmutescentiâ Græculorum plerorumque nostri temporis, â Ruinis veteris Hellenismi, herculeo ausu amoliri non dubitavit, inutiles prorsus ac inficetos ACCENTUUM Apices, qui tanquam Ferramenta & Trabes, antiquis Ruderibus sine ordine implexæ, quantillum fortè pristini nitoris ac Eloquentiæ Atticæ, post captam ab Infidelibus, circa Anno Chr. 1452. Constantinopolin, maximè regiam tum Elegantiæ omnis, imò Magnificentiæ, & Literaturæ cultioris sedem, Musasque hoc pacto ex Thraciâ, Græciâ, ac Insulis, ultra Mare Ægæum ac Mediterraneum profligatas, sparsim inter Eremitas ac Monachos superfuit; omne illud miserè demum redegerunt ad incitas, detorquendo Voces, in Pronunciatione, contra naturam suarum Vocalium, ad genus Modulationis merè insipidum, quo in hunc usque diem utimur, jugum Tyrannidis ejus Grammaticæ, per adsuetudinem non sentientes.

Enim verò quis credat, in perplexo isto, periculoso, ac misero Rerum Statu, quo Viri Docti, ex fugâ quæren-

rentes remedium, partim in Africam, partim ac præcipuè in Italiam, ejusque Provincias celebriores, ad Magnam Græciam spectantes, receperunt se, Hellenismi veteris γνησιότητα, puritatem, ac decus, in deterius sensim non inclinasse, imò Proteo magis versatile, in varias tandem ac fœdas formas non transiisse? imprimis quod Literatissima Græcorum Gens, jam pridem antè, non minùs intestinis Bellorum motibus confecta, quam Romanorum experta potentiam, ut fieri solet, dum Gens una, per necessitatem Commerciorum, occasionem Belli, Migrationum, aut pro re natâ quávis aliâ, alteram studet æmulari, nolens volens, imò imprudens ac nescia, diversi generis Dialectos, & peregrina Vocabula, indubiè atque irrefragabiliter adeò admisit, ut per diversos Temporum tramites, de Grammaticâ tandem in locis, ubi Lingua Græca non erat vernacula, Lexicisque hinc inde concipiendis, ac Idiotismorum Indicibus, consilium iniri necesse fuerit; ne videlicet Florentissimæ quondam Linguæ vis olim omnis, & vel ipsa Memoria, radicitus periret. Et sic venerabiles isti nostri Accentus, de quibus negry scivit cum *Demosthene aut Isocrate*, universa florens Græca antiquitas, cum Subtilitatibus pluribus aliis, ad facilitandam, quod bene sit, Tironum Institutionem, â Grammaticis Græculis, cum tanto ardore & necessitatis persuasu, sunt introducti, ut verbis *Scaligeri*, (*de Causis Lat. L. lib. 2. cap 58.*) *turpe crederetur, edere Dictionem, quæ nullo Accentu insigneretur, quasi quum Jura quoque absurdum censent, Hominem intestatum mori.* In iisque deliciantur in hunc usque diem, atque superbiunt, tanquam vel Peleus antiquitus in Machærâ,

vel

vel apud Romanos Familia Julia, quod per Æneam ex Venere orta esset, præ reliquis Caput efferebat. Quin *Scaligero* jam-dicto, quàm suspecta, imò odiosa jampridem, ante *Autorem nostrum*, fuerit inexcusabilis ista Modulatio, quæ juxta Accentuum Sedes effertur; inferiùs, post brevem Numismatum quorundam Romanorum, Græcè inscriptorum, recensionem, disertè sum subnexurus.

Intereà si mavis *Cantillationem* cum *Scaligero* dicere, perinde est. Etenim *Canere Eidem* (*cap. 52. p. 117.*) nihil aliud est, quàm Vocem Modulis certis tollere aut premere, certisque Temporibus producere aut corripere. Unde *Accentionem* etiam, *Accentiunculum*, vel *Vocalationem* dici posse addit, aut *Modulũ*, ex Vitruvio, tanquam Mensuram Rei propositæ. Rectiùs vero *Modulationem* cum *Henninio nostro* vocabimus, hoc est, ipsam Accentuum, tanquam Modulorum totidem, & Vocis vivæ in pronunciatione, ad Vocabula applicationem.

Atque eheu! Equuleo hoc in Europâ antecedentibus Annis, post Græculos Ævi medii, & Barbariem, bene longo tempore illapsam, quantopere primi quasi, aut præcipue, nos castigarunt Itali, utpote apud quos Literatura Græca, à multis anteà neglecta seculis, est iterum excitata! Indeque Error semel iterum admissus, ad Gallos, Anglos, ac ultra Montes, ad nos Germanos transiens, ô quàm inemendabiliter multiplicavit se, tanquam Vermes, ex putrilagine succrescentes! Penes quos Germanos, primus Græcæ Linguæ peritiâ publicè notus scribitur *Joh. Reuchlinus*, dictus *Capnio*, ut est apud *Joh. Rudolfum Wetstenium* (*d. Linguæ Gr: Pronunciatione Orat. 1.* pag.

pag. 6.) qui *Capnio* vixit non longè pôst initium XVI. seculi. Eiq; fere coævus, aut aliquot annis senior, magnus *Erasmus*, super verâ Græcismi Pronunciatione, an hæc tum superesset, haut futilem suspicionem agitans, de Modis aliquibus cogitavit, quibus ad eandem utcunque rediri posset. Ipsumque alii Viri Docti posteà sequuti sunt. Sed nec Contentiunculæ etiam ultrò citrò q; defuerunt, ortæ maximam partem ex eo, quod suffragante magni nominis *Vossio*, initio suæ de Accentibus Græcanicis Sententiæ, Paradoxo Henninii annexæ, Rerum in Orbe difficillimarum una sit, rationem Sonorum, eodem, quo efferuntur, tempore, in Auras exspirantium, scripto tradere: aptèque mihi videtur *Petrus Antesignanus* (*Schol. ad Instit. Græc. Clenardi, pag. 2.*) sentire, scribens, Grammaticis istis non esse fidem adhibendam, *nisi prius Priscorum aliquem ab Inferis excitaverint.*

Ac propterea diffiteri nec debeo, nec volo, cum primam saltem delicatissimi *Scripti Henniniani* Paginam, emensus essem, Me usq; adeò incensum e vestigio fuisse, perlegendi etiã reliquas studio, ut Medicus ego, de Medico exspectans, quam ille Paralytico ac elumbi Græcismo nostri Temporis, adhibiturus tandem esset Manum medicam: non obstante, quod pôst superatum haut sine periculo Albim, Zephyroque nimboso, in durum & siccum Boream converso, totâ die debacchantes in Faciem Auras paterer; temperare Mihi veruntamen non possem, quin easdem â capite, quod dicitur, ad calcem perlegerem, hoc successu, ut non dico splendoribus Argumentorum circumfusus, lubens in Assensum mox mox adducerer, sed inexpugnabili eorundem vi & exsuperantia

ita compulsus, in stupores totus transirem; ab unâ parte singulare *Autoris* non sat mirari valens Ingenium, Polymathia quam-selectissima excultum; ab altera verò fatalem Antecessorum nostrorum oscitantiam non leviter detestans, quâ ante *Henninium*, *Vossium* & *Scaligerum*, perpetuâ â tot Seculis caligine, ad tantæ Evidentiæ Solem, sibi oculos premi passi sunt, ut de justo Accentuum, in Modulationem Græcam imperio, ne quidem per Somnium facile quicquam fuerint suspicati. Ipseque meam accuso Ignaviam, quod toties totiesque, constanter ac semper, è diversarum *Gentium Nummis*, *Græcè inscriptis*, Accentus abesse expertus, imò quodammodo offensus, veruntamen esse illos minùs longi Ævi Inventum, non præsumserim; qui alias, ubi qualiscunque Causa vel Res Historiæ veteris agitur, non sine Zelo jam pridem alteribi id sum professus, Argumenta, quæ vulgò ad comprobandam antiquam aliquam vel Rei gestæ, vel Personarum, Ritûs, Orthographias, aut Idiotismi Historiam, ex Autoribus petuntur, plerumque esse in lubrico posita, nisi suffragium accedat ex Nummo aliquo veteri probæ notæ, vel Columna, vel Arcu, aut Marmore, tanquam Rebus publicâ Autoritate in publicum productis. In quem sensum philosophari etiam video *Antonium Augustinum*, Tarraconensem Archiepiscopum, qui disquisitionem instituens, utrum Causa vel Caussa, Ajo vel Aijo scribendum sit, *Dial. 10 d. Nummis & Inscriptionibus*, (*Romæ An. 1625. Italicè edit.*) *pag. 261.* sic scribit: *Io do più fede alle Medaglie, alle Tavole, & alle Pietre, che à tutto quello, che dicono gli Scrittori.*

Quantumque ad Numismata; hoc ipsissimum est,

quod eorum mentionem, ab *Henninio*, pro refellendo Usu Accentuum modulatorio, sparsim factam, seorsim placet in Scenam protrahere, & quousque hæc roborando *Illius* Effato conveniat, strictim in gratiam eorum repetere, quibus Autor ipse forsan non fuerit ad manus. Ut videlicet ex Flosculis his, oberrante Digito decerptis, de reliquis etiam, lætè vernantibus, ferant judicium; & ex Unguibus adeo vividis, vim & nobiles impetus Leonis integri perdiscant.

I.

Ac primum quidem, *Pagin. 6. §. 2.* de *Nummis Pœnorum & Tyriorum* mentionum injicit, eâ occasione, quâ veteris Helleniſmi origines ab Inventoribus Literarum, Phœnicibus deduxerat, non unà etiam Accentus additos fuisse docens.

Ex quibus ad *Nummos Pœnorum vel Carthaginensium* quod attinet; de iis inferiùs (*Membro VI.*) dicendi occasio aliqua occurret; unde Scrutinium illorum tantisper eò transcribimus.

Nummi Tyriorum

Quando verò cum his, quæ de *Tyriis Nummis* modò proferebat *Henninius*, partim Illustrem *Spanhemium* (*d. Præst. & Usu Num. Diss. 2. pag. 65.*) partim proprium mihi Tyriorum Nummum unum & alterum confero; neuteribi horum vel micam aut punctulum Accentûs additi utique offendo. Ita enim *Spanhemius*: *Alius occurrit Tyri Nummus*, צרי *inscriptus*: *quæ Literæ non sunt exprimendæ Zur*, *hoc est*, Συρίας, *ut vidi placere Viris longè eruditissimis*; *sed* צור *Tsor*, *ipsum Tyri in S. Scripturâ nomen.* Nullusque ibi Accentus additus est. Ut nec in meo Numi-

mismate priſco æneō, (16. Magnitudinis,) quo *Tyrus*, ditisſima quondam Phœnicum Metropolis, inviolabilis & *Sacra* appellatur, Perigraphe tali, circa imaginem Aquilæ, vel Vulturis ſtantis ductâ.

ΤΥΡΟΤΙΕΡΑΣ ΚΑΙΑΣΤΑΟΤ,

hoc eſt, Τύρε ἱερᾶς καὶ Ἀσύλε. Et in *Nummis Græcorum*, quorum paſſim abundè eſt, conſtanter adeò eadem Lex obſervatur, ut Tempus ſaltem perditurus ſim, ex cumulo eorum aliquos producere ſi velim. Sed in genere hoc dico, quod eruditisſima Gens, omiſſura Accentus ſive in Nummis, ſive in Tabulis inſcriptis, non fuiſſet, ſi ſpectare eosdem ullâ ratione, ad Orthographiam Idiomatis ſui, aut Orthophoniam, cenſuiſſet. Eritque hâc de re inferiùs (*Membr. IV*) porrò dicendum aliquid. *Nummi Græcorum.*

II.

Quin ſecurè pergo, & apud *Henninium*, aliam quandam partem lectisſimæ ſuæ Philologias, Accentibus militantem, eandemque exemplo Nummorum roboratam, *Pag. 27. §. 37.* invenio, quâ ſic philoſophatur. Fuiſſe Accentus ab ipſismet antiquis Grammaticis circumſpectioribus non tam modulandæ, quàm distinguendæ Vocis, unius ab alterâ, ac ideò maximè adſcriptos, ne duæ vel tres voces pro unâ haberentur. Nam *Apud Veteres Græcos exaratas fuiſſe Literas, maximam partem Continuo ductu, ſine ullis Spaciolis, ut hodie fieri amat*: quod inter alia Exemplo ex Sacris (*Matth. 11. v. 21. & Luc. 10. v. 13.*) petito, *Væ Tibi Korazin*, probat. Non enim relictis in medio Spaciis, ΟΤΑΙ. ΣΟΙ. ΧΩΡΑΖΙΝ, ſed continuo ac immediato Verborum nexu, ſic ſcriptum fuiſſe,

ΟΥΑΙΣΟΙΧΩΡΑΖΙΝ,

nos admonet. Unde vulgares Versiones erroneæ ortæ sint, quasi intelligatur Urbs ulla Galilææ, vel Desertum istius nominis; cum potiùs nulla hujus nominis in Rerum naturâ exstiterit, & ita sit legendum:

ΟΥΑΙ. ΣΟΙ. ΧΩΡΑ. ΖΙΝ,

h. e. *Væ Tibi Regio Zin*, quoniam χώρα Provinciam vel Regionem denotat. Quæ Regio *Zin* ad Ripam Jordanis, & Littus Maris Galilæi, unà cum Betsaida, & hæc non procul à Capernaum, exstiterit. Huicque Philologiæ eximiæ, si addas juratum quasi, quantum mihi per festinationem liquere potuit, de nimium-celebri ista, (sed haut dubiè confictâ) *Korazin* vel *Chorazin* Voculâ, & *Stephani*, Græci Autoris copiosissimi, de Urbibus, *& Thomæ de Pinedo*, Commentatoris in hunc diligentissimi, & *Joh: Bapt. Ramusii*, in magno Navigationum ac Itinerum Terrestrium Opere, Italicè edito, & circumspectissimi *Bocharti* in suo Phaleg, &O. *Dapperi*, in novissimâ, eademque prolixâ, Palæstinæ Descriptione, Silentium; haut spero, improbabis, *Judiciosissime Vir*, si parum movear iis, quæ è contrario aut cæteroquin piè-credulus Vir, *Henricus Büntingius*, in Itinerario suo S. Scripturæ, (*part. 2. pag. 33.*) habet, nomine & sub titulo *Chorazin*, Urbem perquamspeciosè describens, & situm ejusdem, & distantiam à Jerusalem, & Miracula Christi ibidem visa, & eversionem dein, & Rudera vix amplius conspicua; atque isthæc omnia, testimonio fultus *Bernhardi de Breitenbach*, & *Fr. Brocardi*, Monachi. Cujusmodi homines Traditiones in Palæstinâ acceptas, quâ veri fiduciâ à minùs-peritis Incolis acceperunt, eâdem sub reditum tra-

tradere ſolent aliis. Ob quam cauſam quoque non vacat, in *Sandyſii* Itinerario quicquam evolvere, ne ſimili Fato plectar.

Et ſiquidem quis objiciat, concedendo, verum eſſe, per Appellativum χώραν, Regionem, vel determinatum alicujus Loci diſtrictum denotari; ſed minùs comtè egiſſe *Henninium*, quod Speculationi ſuæ indulgens, Ουαφσιχωρᾶζιν per Ω. ſcripſerit, cum juxta Exemplar Biblicum Ουαφσιχοῦζιν per O. parvum ſcribere debuiſſet; Reſponderi poteſt tripliciter.

Primò inuſitatum haud eſt, O. longum in breve, aut hoc in istud, per Dialectum mutari, utpote juxta quam, e.g. ὄρα Æolicè pro ὥρα, apud *Othon. Gualpterium* (*Grammat. Græc. pag. 563.*) vel è contrario ὥρεα Doricè, pro ὄρεα, apud *Caſp. Wyſſium* (*Dialectolog. Sacr. Append. part. 2. pag. 37.*) & ὦμοι Æolicè, pro ὄμοι, apud *Eundem* (*pag. 38.*) adhibita leguntur. Quod poſterius etiam, *Lexicon Græcum Baſileenſe* A. 1572. ex Budæo, Gesnero, Junio, Hartungo, ac alliis conflatum, ſub Lit. Ω. & *Scholiaſtes Clenardi*, (*pag. 13.*) habent. Tum ex *Wellero* (*Grammat. Græc. decimùm editæ pag. 20.* hæc poſſumus addere: *Pro* Ω. *habent* O. *Æoles & Poëtæ, ut* Ἔρως: Ἔρως: *vel* Ζόη, *pro* Ζωὴ, *Jonicè*. Minimèque hic reticere debeo, in Nominibus Romanis, Vocabula *Antonius*, *Antonia*, *Antoninus*, juxta Nummos quosdam, Græcè inſcriptos, non conſtanter aut ſemper antepenultimam ΤΩ habere; ſed aliquando etiam breviorem ΤΟ. ſubſtituere.

Nummi Antonii, Antoniæ, Antonini.

Quid dein dicam de eo, quod magnâ Significatuum cognatione gaudent, utut â diverſis, ut forſan objicietur, Primitivis deſcendentia, ἀναχωρέω, (revertor, ſecedo)

ἀναχορέω, (tripudio) ἐκχορέω, (discedo, pervenio) ἐκχορέω, (circumsilio) συγχορέω, (simul eo) συγχορέω (simul tripudio,) & χορευτὴς, (qui Chorum agit.)

Maximèverò memorabile est, idem putatitium Nomen proprium *Chorazin*, quod apud *Matthæum* χοραζιν, per Omicron scribitur, apud *Lucã* χωραζιν, per Ω. velo. majusculum efferri, non tantùm in unâ eademque diligentissimè procuratâ, A. 1596 *Davidem Wolderum* Trilingui *Editione Hamburgensium Biblicâ*, quod Opus *Autor* (*in Epistolâ Dedic.*) Biblia Cimbrica appellari optat: sed in ipsismet *Polyglottis Anglorum Bibliis*, ut cuivis revolventi ea, liquidum evadet. Quæ diversitas Lectionis *Arabico Paraphrastæ* forsan etiam offendiculo exstitit, quò minus Ipse, dum reliqui omnes cum suo Chorazin vel Korazin in utramque, quod dicitur, Aurem, securè dormiunt, eos sequatur; quin ille solus quasi titubanter rem gerit, & satis cespitationem hanc suam prodens, quid cum τῷ *Chorazin* deberet facere, in loco *Matthæi* vertendo, *Curazin* ponit, apud Lucam verò *Corozain*.

Et in summâ, nequicquam Asserto *Henninii*, de continuâ olim apud Græcos, Textus scribendi ratione, obstabit, si quis dicat, reperiri Codices veteres Græcos MSc. in quibus Accentus adscripti, hodiernæ rationi conformes, quam maximè reperiantur. Adeòque Pigmenta istiusmodi Apicum, super Voculas locata, non esse Inventum recentis Seculi. Nam quis eadem in Codicibus, ante plusçula licet Secula conscriptis, affingi demùm ac pingi â Posterorum aliquibus, potuisse neget? cum simile Fatum etiamnum in Biblia Hebra-

braica sine Virgulis ac Punctis alicubi edita, per privatam quorundam diligentiam expetere soleat, & via Tironibus, ad citiùs & faciliùs obtinendam Lectionem entheam, parari. Quam in rem non possum non Verba, negocium hoc mirè illustrantia, adducere *Sixti Senensis*, quæ profert *lib. 4. Bibliothec. sanct. sub Lit. F.* (*pag. 289. a.*) sic scribens: *Novum Testamentum* (à Franc. Xymenio editum) *Græcum habet Contextum, cum Hieronymi Versione, nudis tantùm Literis conscriptum, sine ullis aut Tonorum, aut Spirituum Notis, ad imitationem antiquissimorum Græcorum: quos absq. hisce Accentibus Fastigiisque Literarum scriptitasse, Callimachi Poëmata vetustissima, & Sibyllina Carmina, & Marmorum vetustissima Fragmenta indicant. Nam cum universum Novum Testamentum Græcè scriptum fuerit, voluit Autor priscam in eo Linguæ illius vetustatem, majestatemque intactam retinere, & ad imaginem antiquarum Scripturarum publicare, ne rei tam sanctæ autoritati, ac venerandæ majestati, adjectitiis novitiisque rebus, detrimentum afferri videretur.*

Et jam superius, *lib. 3.* (*pag. 184. 4.*) de Prosodiâ apud Græcos divinæ Scripturæ illustratione, h. e. Tonorum, Spirituum, Accentuum, &c. appositione, quæ nunc ubique visuntur in Græcis Codicibus, verba faciens, id etiam fuerat professus, dicens: *Hos* (Codices) *antiquitus nudis tantùm Literis, absque ullis Accentuum Notis fuisse conscriptos, testes sunt Epiphanius, Salaminæ Episcopus, & Franciscus Xymenius, Archiepiscopus Toletanus, in editione Novi Testamenti. Visum est autem posteà Græcis Patribus, hæc addere, non solùm ad rectam ac distinctam*

etiam Scripturæ sanctæ Lectionem, sed ad discernendas quoque Ambiguitates quasdam non parvi momenti, quæ sine his Notulis, Apicibus, & Punctis, dirimi non poterant.

Adeòque de vetustissimis Marmorum Fragmentis quid præcipuè dicam, ad quæ *Sixtus Senensis* in præcedente loco, ac de *Nummis*, ad quos *Henninius* noster firmissimè provocat, tanquam ad Monumenta ejusmodi, in quibus ob Metalli duritiem, & ob Tabularum Marmorearum, Græcè inscriptarum, earundemque eminùs positarum Sublimitatem, Interstinctio Grammatica superveniens, & Manus audax accentuatoria, haud æquè videtur procedere potuisse? Quin hoc ipsum maximè decrevi, pro *Henninio* dicere; utique verum esse, *& sine relictis spaciis intermediis, & sine Accentibus vel punctis*, sive Modulationis, sive Distinctionis ergo *appositis, Vetustissimos Nummos & Inscriptiones Græcas, in publicum productas esse;* atque Rem non aliter se habere, si utriusque generis Monumenta rectè adspicias, nec accidentariò in Nummis aliquibus, *continuum ductum Perigraphes*, Imago majuscula interposita perturbet. Cujus generis jam erât *Tyriorum ille*, de quo in antecedentibus dixi, *Nummus* meus æreus (genuinus affatim;) utpote in quo *immediatè* sibi succedere videas & *connecti*, ab uno quidem Imaginis latere, Voces ΤΥΡΟΤΙΕΡΑΣ, non ΤΥΡΟΤ· ΙΕΡΑΣ, ab altero autem ΚΑΙΑΣΤΑΟΥ, non ΚΑΙ. ΑΣΥΑΟΥ.

Nummus Tyriorum iterum.

Eodemq; modo in pluribus aliis, (ne dicam omnibus), quorum bona series pasim tum in Bibliothecis, & Principum Scriniis habetur, tum compingi ex Scriptis Nummographorum posit, Latera eorundem Græcè

cè, sine Accentu inscripta, & Verba, continuo nexu juncta, observantur. Nec in Nummis tantum constanter id deprehenditur; sed ex Gemmarum Sculptilium genere, in *Sapphiro Constantii* pariter id connotabis, exhibente Imaginem Imperatoris, Aprum grandem Venabulo transfodientis, *cum Connexis* in Hypographe *duabus Vocibus* his:

ΚΑΙΣΑΡΙΚΑΠΠΑΔΟΚΙΑ,

prout ejus Effigiem *Carolus du Fresne*, *in Familiis Byzantinis*, *Tab. XI.* exhibet, & cæteroquin peculiare ac pereruditum, de hâc ipsâ Constantii Gemma, JCti excellentissimi, *Marquardi Freheri*, Scriptum exstat.

Utque eadem, hac ex parte, antiquarum in Tabulis & Saxis, Inscriptionum ratio, quæ Nummorum & Gemmarum sculptilium (cæteris paribus) est: ita clam *Te* esse, *Vir inclyte*, aut reticere *Lectori*, sine præjudicio, ut par est, ac bile, pagellas has emensuro, gaudium non possum, quod his ipsis diebus concepi, quando ad *Jacobi Sponii*, Medici Lugdunensis, magnæque meritò, in talibus, Autoritatis Viri, Epistolam Itinerarii sui Dedicatoriam, fortè sum relapsus. In hâc enim testatus, quâ ratione omnium ejus (sæpeque periculosorum) Itinerum, per Italiam, Dalmatiam, Græciam, Asiam minorem, & Orientem, præcipuus Scopus non fuerit alius, quam ut ex Monumentis antiquis Inscriptiones fide dignas, undecunque colligeret, vulgò haud observatas; publicoque Bono easdem daturus, (qui Candor *doctissimi Viri* est), Errorem aliquem putatitium deprecatur, consistentem in hoc, (sed facilè excusandum) quod Verba Græca, (notemus, quid scribat:) atque iterum dico, in gra-

 tiam

tiam *præclari Henninii*, inque dignam Accentuum contumeliam; *quod Verba Græca*, quæ in plerisque Marmoribus & Saxis offenderat, *citra ullam distinctionem sui, & appositionem Accentuum copulata, distinxerit;* addens, laborem haud sanè exiguum sibi increvisse, ut verum Verborum sensum ac numerum per omnia divinaret.

Istiusque Vocum Syntheseos, difficultatem Lectori inferentis, culpam *Cl. Sponius* Lapicidis vel Sculptoribus adscribere vult, prout utique Contextus Inscriptionum tales non prodiissent, nisi Scalprum iidem, & Malleum Marmori admovissent: sed profectò ad Scopum rei accedit propius, dum putat, vel ex Causis occultioribus etiam fluxisse isthæc potuisse. Nam quæ Causa occultior, quæso, sit alia, quam ea, quod Græci veteres, quemadmodum ob Suadam planè mellifluam, erant maximè celebres, sic Vocabula etiam, uno plura eodem anhelitu proferentes, eodem continuo ductu expresserunt?

Romani contra, quamvis cæteroquin essent imitandæ Religionis â Græcis acceptæ, Rituum, Legum, & aliarum rerum observantissimi; in eo tamen haud imprudenter diversam eundi Viam elegerunt, quod Eumetriam, Splendorem, ac Elegantiam in nullo non Opere externo affectantes, â confusa ista, aut *connexivâ Vocum expressione Græcanicâ*, tanquam Matre Confusionis, abstinentes, Inscriptiones suas, Epitaphia, ac Cippos, hac taxi conficerent, ut numericam Vocum distinctionem ostensuri, Spacio aliquo, in eadem Lineâ, distare ipsas â se invicem facerent: qua formâ se habent *Inscriptiones Latinæ* Veteres quasi omnes, quas *Boissardus libro*

bro 3. Antiquitatū Romanarū, Anonymi Monumenta Illustriū Virorum, An. 1671. Trajecti ad Rhenum edita, Petrus Apianus, ac alii afferunt; aut *Punctum* etiam terminalibus Vocum literis interponerent. Quod posterius imitari volentes semi-ingeniosuli quidam hodie, in Inscriptionibus Sepulcralibus, duplici nomine Simplicitatem suam, inque verâ Philologia inexperientiam, manifestant. Primùm, quod Spacia singulis Vocum concursibus conspicua satis interponunt, & tamen Punctum iisdem interserunt etiam: cum alterutrum horum facile ad confusionem vitandam sufficeret, aut videlicet Spacia constituendo, & Puncta distinctiva omittendo; aut hæc inspergendo, atque ista tanto arctiùs constringendo. *Deinde*, quod extremum cujusvis Lineæ, etiam Puncto claudunt, cum ipsum Spacium terminale, in quod Linea fatiscit, sæpe sit ipsa Linea longius, & nullum proin cum sequentis Lineæ Voce initiali Confusionis periculum relinquat; excepto, si Vox, Lineam claudens, abbreviata sit, ut PAT. FIL. NEP. PONT. MAX. &c. quod alia occasione â Me jam pridem est notatum; ubi Lectorem, ni fallor, ad evolvendum, eodem Scopo, *Ant. Augustini Antiquitatum Dialogum 10.* (*pag. 154.*) etiam ablegavi.

Et ad Complementum eorum, quæ dixi, nil superest, quàm ut incidenter hoc quoque moneam, â supralaudato *Scaligero* Virgulam distinctivam, incurvam, quam *Comma* (,) dicimus, per Subtilitatem inutilem adhiberi, in rectè legendo *Versu 83. Virgilii*, (*lib. 8. Æn.*) quem ita scribit:

—— *viridique in Littore conspicitur, Sus*: ne scilicet

licet *conſpicit Urſus* quis legat. Cujusmodi pravæ Lectionis vero periculum eſt nullum, nam Fœmininum *Candida* præcesſerat, quod cum Urſo, maſculi nominis & impetûs beſtiâ, conſtrui non poteſt. Adeòque his misſis, quid porrò *Henninius noſter*, per occaſionem eruditi ſui Diſcurſus, *de Nummis* proferat, videamus.

III.

Pag. 29. §. 40. itaque, Literæ Græcæ P. in literam Græcam X. inſertæ, & ex eádem ſupernè eminente,



mentionem injiciens, convenienter monet, Rem hanc in alios uſus primò inventam, poſtmodum in *Nummos* & Labara *Imperatorum Byzantinorum* transiiſſe, SALVATORIS noſtri Nomen initialibus ΧΡΙΣΤΟΥ Literis expreſſuram.

Nummi Imperatorum Byzantin:

Cujusmodi Conſiderationi verò diutulè non immorabor, tum quod directè ad probandam vel reprobandam adſcriptionem Accentuum nihil conferat; tum quod res ſit vulgò notiſſima, veteres Chriſtianos, à tempore Conſtantini M. & Conſtantii Filii, initialibus duabus in Græco Chriſti Nomine exſtantibus Literis, X & P. quibus Salvatorem in Cruce ſignificabant, vel ſolo X. aut Crucis Signo, in perpetuam ac piam, ejus memoriam, uſos fuiſſe non in Nummis ſolùm, & Vexillorum militarium genere, *quæ Labara* vocantur; ſed

in

in Cultu externo, Veſtitu, & Apparatu quovis alio: in Portis Templorum puta, Viisque publicis; in Clypeis item, Baculis & Haſtilibus, Thoracalibus, Galeis; Pectorali Epiſcoporum, horumve Mitris, ac Infulis; vel Cæſarum Coronis, Pomoque Imperiali; & quemadmodũ in Veſtitu Fratrum Crucegladiatorum, de quibus *Krantzius* aliquid habet (*lib. 7. Saxon. cap. 14. pag. 182.*) ita in Cappis & Palliolis Ordinum Equeſtrium, de quibus prolixa imprimis ex nitidisſimo & amplisſimo Anglico *Eliæ Ashmole* Scripto, cui Titulus, *Garder-Order*, poſſent adjici: nec non in Lucernis Veterum, de quibus videri poteſt *Licetus d. Luc. Antiq. lib. 3. cap. 11. pag. 211. lib. 6. Cap. 29. pag. 782. Cap. 48. pag. 850. & Caſalius, de Vet. Ægypt. Ritib. cap. 25.* ac alii.

Iſtaque *Labara*, â ſuperatis per Conſtantinum, Paganismi tollendi *Laboribus* putantur dicta; deſcripta poſtmodùm, ſub Theodoſio, â Chriſtiano Poëta, *Prudentio*, (*in Symmachum, Cap. quo Romam alloquitur, v. 547:*) his verbis:

Agnoſcas, Regina, libens mea Signa neceſſe eſt,
In quibus Effigies Crucis, aut gemmata refulget,
Aut longis ſolido ex Auro portatur in Haſtis.

Sed & Rebus profanis, nominatim Collaribus & Lamellis æneis fugitivorum Servorum, Notam ejusmodi impoſitam aut inciſam, apud *Licetum* jam-dictum (*lib. 6 Cap. 48. pag. 861.*) ex *Pignorio* diſcimus; aut piis Chriſti Confeſſoribus, â quibusdam Romanorum Præſidibus in ipsâ vivâ Fronte impreſſam fuiſſe, ut loco Stigmatis eſſet, ex quo imputata iis Infamia dignoſceretur, Autorum fide conſtat.

IV.

Quin, ne longiùs digrediamur: ecce directè porrò probare volens *Henninius*, *Accentuum Apices omninò fuisse florenti Græciæ ignotos;* postquam validè satis ex rectâ Ratione, ex Antiquorum de Accentibus silentio, & quod tantò majus, ex ipso pro se *Aristotelis*, *Hieronymi*, *Theonis Sophistæ*, *Quintiliani*, *Gellii*, *Varronis* Testimonio, nec non peculiari quadam, ex *Pausaniâ*, scribendi ratione, philosophatus fuerat: ad exceptione omni majora Veterum Monumenta, ad Lapides, inquam, publicè inscriptos, ad Codices MSC. ad Instrumenta, ad Tabulas publicas, ad Gemmas sculptas, ad Signa Artis antiquæ, & ad *Numismata*, identidem recurrit.

Imò his primum locum *Pag. 38. §. 54.* meritò tribuit, Lectorem Autores Nummographicos bonæ notæ, sedulò conferre jubens. *Ant. Augustinum*, *Hemelarium*, *Ursinum*, *Patinum*, (proh quanta Nomina!) *Vaillant*, *Menetrejum*, *Gorlæum.* Quibus reliqua quævis intrepidè addo, in ejusdem Scientiæ Orbe, primæ & secundæ magnitudinis Sidera, qualiscunque Musei mei parietes lætè illustrantia; *Borellium*, *Cuperum*, *Erizzum*, *Fœschium*, *du Fresne*, *Goltzium*, *Grævium*, *Gronovium*, *Mirabellam*, *Moscardum*, *Nonnium*, *Noris*, *Oiselium*, *Oudanum*, *Panviniũ*, *Pignorium*, *Rubenios*, *Sambucũ*, *Sandrart*, *Schefferum*, *Smetios*, *Spanhemium*, *Sponiũ*, *Stephanum*, *Stradã*, *Symeonem*, *Tristanum*, *Vicum*, *Volckamerum*, *Jac. Zabarellam.*

Quos Clarissimos Viros omnes (proh hominum fidem atque modestiam!) ecquis compos Mentis, tam cœcos fuisse pronunciet, ut inter tot Mille, & pene dixe-

dixerim, millies Mille, quæ Manibus suis palparunt, oculisque viderunt, *Græca Numismata*, ne in unico quidem, si ullibi exstitissent, Accentulum observarint?

Nummi Græci potiores reliqui.

Et ex Autoribus illis duorum saltem hic placet, meritò celebrandam, utpote multijugo labore, in diversis Europæ locis, longo tempore â se comparatam, nominare Nummorum Experientiam: *Huberti Goltzii*, & *Johannis Vaillant*.

Quorum Prior, Nummis in Belgio, Germaniâ, Italiâ, & Galliâ perlustrandis, Quadriennium impendens continuum, in ipsis ducentis, viginti, & unâ, Urbibus, Possessores Nummorum nongentos, septuaginta, & octo salutavit; & hoc pacto, etiamsi non plura saltem, quàm trecentena, penes quemque eorum, vidisset Numismata, Numerus veruntamen, â *Goltzio* notatorum, minimò ducenties nonagies ter mille, & quadringentorum, (293400.) emersurus sit: quale quid alteribi (*in Conjecturâ de Nummo Regis Oddonis, Pag. 18. & 27.*) jam antè indicavi.

Posteriorque, *Johannes Vaillant*, Doctor Medicus, & Regis Galliæ Antiquarius, postquam pridem ante jam Romam viderat; Nummorum gratiâ, ac jussu *Illmi Joh. Bapt. Colberti, Ærarii Regii Moderatoris generalis*, denuo eò redire, imò totam quasi Italiam perlustrare, Principum & Ducum Sabaudiæ, Hetruriæ, Parmæ, & Mutinæ Gazas attentè observare, & Româ dein, ubi novam & immensam Nummorum congeriem comparavit, in Siciliam proficisci, haut grave ducens; tum ipsammet Græciam, cum circumjacentibus Insulis, & Asiam minorem penetrans; quid non *Nummorum*, omnium selectissimo.

simorum, maximèq; *Græcorum, aut Græcas Inscriptiones gerentium*, potandus sit, sibi familiare reddidisse? Imò illos familiarissimos, ut ex edito â Se, ante Annum, egregio *Tomo duplici, de præstantioribus Numismatibus, Imperatorum Rom.* hinc inde patet. In his enim vix Nummum ab *Autore* transmitti, sine Epicrisi additâ, videas; hunc videlicet rarum, alterum inter rariores numerandum, tertium perrarum, imò rarissimum, suâque singularitate & elegantia præstantissimum, alium contra magis obvium (& sic de cæteris) per Experientiam decernente.

Nummi Romani, Græcè inscripti.

Atque jam *in Tomo II.* saltem adducta *Numismata*, mihi consideres, merè Aurea vel Argentea, *Imperatorum, Imperatricum, aut aliarum* in Urbe Orbis triumfatrice, *Personarum Illustrium*: quorum pluscula Græcè inscripta ibi habentur. M. Antonii videlicet, (*pag. 9.*) Augusti (*pag. 22.*) Tiberii, (*pag. 25.*) Caligulæ, (*pag. 32.*) Agrippinæ junioris, (*pag. 36.*) Neronis (*pag. 38.*) Poppææ, (*pag. 39.*) Galbæ, (*pag. 42.*) Othonis, (*pag. 44.*) Vespasiani, (*pap. 49.*) Domitiani, (*pag. 56.*) Trajani, (*p. 63.*) Hadriani, (*p. 73.*) Sabinæ, (*pag. 74.*) Ælii, (*p. 76.*) Antonini Pii (*p. 79.*) L. Veri, (*pag. 86.*) Lucillæ, (*p. 87.*) Severi, (*p. 110.*) Juliæ Piæ, (*p. 113.*) Caracallæ, (*p. 119.*) Getæ, (*p. 123.*) In his, dico identidem, ne punctum quidem vel vestigium ullius Accentûs es reperturus.

Cur ergo Posteritas illos addidit? Aut, si eosdem vitandæ Confusionis ergo appinxit, quod ob veniam mereretur; quis nihilominus Autoritate eâ Grammaticos instruxit, ut dum Hellas tota, florente ævo suo, sine ullo Apicum istiusmodi, Vocibus appositorum auxilio,

Sylla

Syllabas, juxta fundamentalem Vocalium ſuarum Naturam, pronunciaret quam perfectisſimè; iſti Logodædali contra, & Phonodidaſcali, ultra Sphæram debitam nimiùmquantùm ingenioſi, fictis ſuis ad Tornum Minervæ Accentibus, impunè adeò vim maximam Syllabis, in ipsâ etiam Pronunciatione, inferrent. Quod faciebant, Syllabam, partim Naturâ Poſitionéve longam, ſæpe corripiendo, ideò quod Quantitas ultimæ (egregiam verò Rationem, ab injuſtâ Lege deſumtã, quam absq; Ratione iidem ſanxerunt!) id expoſcat, e.g. in Voce ἄνθρωπος, ποίημα, τέτυπται, ὑπόκατετον, & ſimilibus: quarum Modulatione, Accentuum Sedem ſequente, nil profectò abſurdius, aut certè injustius: partim Brevi quoad Naturam aut Uſum Syllabæ, moram duplicis Temporis tribuendo, ipſamque producendo; quam anomaliam atque audaciam, itidem haud excuſabilem, ſi ſtricto Jure iſthæc velimus exigere, in accentuatoriâ Vocum, φιλοσόφου, εἰδέαν, ποιέω, καθόλυ, & plurium aliarum, Pronunciatione, meritò deteſtamur, nec multùm improbaturi ſumus Effatum *Scaligeri* (*lib. 2. d. Cauſ. Lat. L. cap. 58.*) dum â juſtâ bile qualicunque ſibi etiam haut temperans, ſic ſcribit: *Ergò jam deprehendimus, Accentuum horum Cantillationem riduculam, non Naturâ, ſed uſu quodam geſticulatorio conſtare.* Et interjectis paucis, quibus idemmet *Fatum accentuale* penitus aſperum, (Bivocalium præſertim vel Diphthongorum) deploraverat, expresſè ibidem *Servitii Jugum putidi* appellat, *Miſeriam penultimæ* intuitus, quæ ſerviliter adeò Libidini ultimæ ſit ſubmisſa; *Romanis* contra eidem Penultimæ, jus ſuum, ut par eſt, illibatum linquentibus.

Et de *Gravi Accentu* in specie quid dicam, quem Grammatici ideò Gravem nominant, quod in fine Dictionis Syllabam deprimat, Acuto contra, eandem attollente? Nam profectò admodùm cuperem, perorantes ad Tempus aliquod, iteratò & cum attentione audire, nimiùm rigidos istos Syllabarum Tyrannos, & Accentuum Fabros primos, si reviviscerent, quomodo in curriculo Pronunciationis, e. g. θεὸς ab θεός, ἀγαθὸν ab ἀγαθόν, ἀκμὴν ab ἀκμήν, in Modulatione sint distincturi?

Nisi insigniter fallor, Genio suo tamen indulgentes, aut non distinguent in Modulatione Syllabas, *Acuto* notatas, ab iis, quas *Gravis* onerat; atque ita utriusq; officium idem facient; & Gravis æquè ac Acutus, ipsis Syllabam attollet, nec ipsam deprimet: quale quid verò est contra fundamentales, in Institutionibus vulgò receptis, Regulas. Aut eosdem distinguent. Ita novum suprepet periculum. Nam Accentus Gravis, ultimæ Syllabæ, e. g. in Voce ἀκμὴ &c. superscriptus, quò minùs ab Auditore pro Acuto habeatur, officio suo satisfacturus, modò dictam Syllabam ultimam verè etiam in Modulatione debebit deprimere. Et sic decipietur Auditor, ut ultimam in pronunciando deprimi, & velut Hiatu quodam breviter absorberi percipiens, arbitrari περιξύτονον possit, & velut (ἄκμη) scriptam. Quid enim Deprimi Syllabam aliud sit, quam ita efferri, ut exclusæ eidem ab Acuti vel Circumflexi imperio, Tempus in pronunciando brevissimum tribuatur, & Stigma veluti distinctivum inuratur, quo differre eandem â Syllabâ, Acuto notatâ, compareat. Quæ equidem puto tam manifesta ac liquida, quàm non obscurum est, Solem, Aërem exi-

existente nequicquam impuro, in plenâ Meridie lucere.

V.

Sed ne Indignatiunculas eorum, qui vulgaria prementes vestigia, pro illis pugnaturi sint, nimiùm in Me concitem; age, quid porrò *de Nummis* proferat noster *Henninius*, videamus.

Isque *Pag.* 99. *num.* 117 evicturus, quò minùs quis ex Analogiâ etiam Græcismi cum Latinismo in multis, pro communi Sententiâ quærat præsidium, ulterius Nos monet, *Optimam* quoque *Latinitatis ætatem*, *Græcismo usam*, *Accentus ignorasse*. Et identidem ad veteris ævi Monumenta, Codices MSc. Inscriptiones, Gemmas, Signa, & *Nummos* provocat, notanter addens, *paulatim per Ineptias Grammaticorum* (Accentus) *Literis Longobardicis cœpisse superimponi in Vocibus ambiguis, & quidem maximè in eâ syllabâ, in quâ differentia Similitudinis deberet intelligi, v. gr. doctè, doctè, óccido, occido. &c.*

Profectò, si vel Tempus abundans, vel Animus mihi esset, non dico *Nummos* meos *Romanos* omnes, ut- ut eorum Centuriæ plusculæ Mihi sint, sed imprimis Autores quosvis, in iisque exstantes sexcentuplo plures Nummorum Imagines, inquali cunque Bibliothecâ meâ Nummographicâ, seorsim exstante, suo quasque ordine, & accuratò evolvere; insignem potius Horarum, frustra transactarum jacturam facturus sim, quàm ullum Accentum, in ullo eorum reperturus.

Nummi Romani iterum, Græcè inscripti-

VI.

Ulterius, *Pag. 113. sub finem num. 143. Henninius* noster, in Fata Linguarum, & Causas, quibus ea adeò frequèns passim corrupantur ac permutentur, imò planè emoriantur, & lentâ, ut sic dixerim, Phthisi intereant, altiùs se immissurus, exemplum inter alia *Nummorum Carthaginensium* subinfert, tanquam perceptu impossibilium, & quorum Sensum haut facilè liceat divinare.

Nummi Carthaginensium.

Cujus difficultatis rationem reddi apud *Anton-Augustinum* (*initio Dialogi 6. pag. 89.*) hanc video, quod ignoretur Lingua vetus Punica; atque inde sit, *ut in his fere cæcutiamus.* Et hoc ideò; sive quod maluerit ista Gens Res ipsas gerere potiùs, quàm scribere, aut quovis alio modo ad Posterorum Memoriam propagare: sive, ut equidem arbitrer, quod *Puni* antiquitus dicerentur *bilingues*, quoniam Linguâ Tyriâ æquè ac Libycâ uterentur, ut est apud *Taubmannum*, (*Notis ad Virgil. I. Æn. v. 665*) unde *Punica fides*, tanquam anceps & maximè dubia fides, in Proverbium quoque transiit.

Quicquid sit; modò laudatus *Augustinus* ingenuè fatetur, pauca se vidisse Carthaginensium Numismata, utut Resp. illorum cum Romanis diu de Imperio contenderit, aliquando victrix existens, Terra Marique; sed & denique victa & eversa.

Et duorum saltem, quæ domi servaverit, ex argento, præcipuorum mentionem (*pag. 92.*) injicit: in quorum meliore, Fœminæ facies, cum Delphinis circumcirca; inque aversâ parte Caput Equi, penes quod Palma cum Dactylis. Sed, qui Candor Virieſt, é vestigio

gio subjungit, Literas, Equino Capiti subscriptas, vix legi posse, nedum intelligi; nisi Punicum sit nomen Urbis, KAKKABH, quod caput Equinum denotet, ut ex *Stephano Byzantio de Urbibus*, (*sub voce* Καρχηδὼν) & doctissimis in hunc, quem superùs (*Membr. 2.*) laudavi, *Thoma de Pinedo*, Commentariis docemur.

Alterum Numisma Carthaginense, in Scriniis *Augustini* quondam conspicuum, quoniam â priore non multum discrepat, Silentio transmitto. Eique substituo aliud, rarum & notatu dignum, magnitudinis 25. quod depictum offendas apud Illustrem *Carolum Patin. in Introductione* suâ aureolâ *in Historiam Numism. cap. 12* cum Epigraphe quidem additâ, sed & hác *Accentu* destitutâ.

VII.

Meque converto ad *Henninii Pag. 122. §. 154.* quatenus ibi planè *Inconditorum quorundam Nummorum*, ad finem scribendi tendens, etiam meminit, tanquam talium, in quibus si quis fortè *Accentus*, Voci Græcæ appositos, tandem sit inventurus, post frustra quæsitos eosdem in Nummis probatioribus, & præsidium inde pro stabiliendâ communi Sententiâ velit petere; næ ille fœculentiam Ingenii & Judicii admodum proditurus sit.

Quis enim vel audivit unquam, vel æquum censuit, Obliquum existere Recti judicem? Id ipsum autem foret, comtam Græcismi veteris suavitatem, puritatem, & magnificentiam, sub Βαρβαρογραφίας turpe jugum redigere, autoritatemque Accentibus, ex Inscriptionibus nonnullis, & planè Inconditis Nummis, conciliare

velle. Cujus generis *Autorii noſtro* ii ſunt, in quibus vel genuinæ Elementorum Figuræ *ἀμέτρως*, ut equidem capio, & præter decentem pingendi morem, depravatæ exſtant; vel ubi *alieni ac peregrini Idiomatis Literæ, Græco Textui commiscentur.* Quod posterius vitium præſertim, tanquam putidum ulcus, hic tangit *Henninius*, & Græculorum, ſub potestatem Romanam redactorum, niſi ruditati per omnia, vernilitati tamen, ac adulandi artibus adſcribit.

Et hoc pacto præcisè hic non intelliguntur, rudes illæ, ineptæ penitus, & ab elegantiâ priſtinâ, vel mediocri ſaltem, longisſimè recedentes, Monetæ diverſi generis, quæ poſt *Athalarici* (A. C. 526.) Gothorum & Italiæ Regis barbari, & *Juſtiniani* (A. C. 527.) tempora, usque ad *Totilam*, (A. C. 541. ſeq.) prædatorem Romæ, & *Tejam*, (A. C. 552.) ultimum Regem Gothicum in Italiâ, ab *Emanuele Theſauro* (*del Regno d' Italia*, *pag.* 77.) cum reliquis deſcriptum, ac ulteriùs, tam intra, quàm extra fines Romani Imperii, ſunt excuſæ, Vandalis, Gothis, Hunnis, Alanis, Longobardis, per præſtantiores Europæ Ditiones, ultro citroque graſſantibus. Ad quem cenſum utique aliàs pertinent, cum *Gothicis* quibusdam, (de quibus convenienter diſerentem legas, in paulò-antecedentibus hic allegatum *Caput 12. in Patini Introductione ad Hiſt. Numm.*) *Nummi Sclavonici*, tenues, circa Wismariam, Hamburgum, Bremam, ſucceſsivè inventi, & Inſcriptione continuâ carentes quidem, ejus loco tamen Characteres, Runis ſimiles, irregularibus rerum Figuris, nullâ facilè ratione explicandis, inamœnè implexos gerentes: itemque *Danici* vete-

Nummi Gothici.

Nummi Slavonici.

veteres, ante Regis *Johannis* tempora percusi. Qui (A.C.1483.) erat nonagesimus septimus in ordine, ut habent *Chronica Danica parva*, Danicè impressa; nam *Meursius* in Historiâ suâ Danicâ, ultra *Christophorum III.* Johannis hujus præantecessorem, (A. C. 1440.) non excurrit. Eoque (*Johanne*) regnante, Nummaria demum res, ad aliquod elegantiæ culmen est evecta, notante *Joh. Mulenio*, qui *in Præfatione Libelli de Nummis Danorum*, (post mortem Autoris â *Cl. Th. Bartholino* editi) testatur, sub hoc ipso Rege etiam, in Daniâ primùm percusos exstare *Thaleros* Imperiales, ac *Nummos Aureos*, cum hâc istorum Inscriptione, in alterutro latere: MONETA ARGENTEA REGNI DACIÆ.

Nummi Danici veteres.

Thaleri ac Nummi aurei Danici.

Ubi nota, non esse Sphalma, quasi per Errorem DACIA pro DANIA, sit scripta. Nam tales Nummos plusculos, vel apud solum *Mulenium* offendas; spectantes videlicet ad Regem *Johanem*, quinque: & ad Filium ejus, *Christiernum II.* totidem: cum similibus quinque, ad *Fridericum I.* dicti Johannis Fratrem, spectantibus, & aliis aliorum, qui sequebantur, Regum. Quibus parem, argenteum, uncialem, 23. Magnit. ipse quoque asservo, *Ripæ* (quæ Urbs est Episcopalis, olim pulcra, & Templo etiam. num magnifico insignis; ad oras Maris Germanici, in Jutiâ) ab *Insigni Viro*, Præside Regio ejus loci, *Dn. Wormio*, cum Romanis quibusdam antiquis, mihi donatum, & â *Mulenio* (*Class. 3. Serie 3. num. 20.*) descriptum hâc formâ: In uno Latere Effigies Regis, Solio insidentis, cum Perigraphe: FRIDERICUS D. G. REX DACI. R. NOR. In altero Insignia Regia, cum Perigraphe: MONETA° NOVA° RIPENSIS°.

Nummi Dacici, i. e. Danici.

Nummi Johannis, R.

Nummi Christierni II. R.

Nummi Friderici I. R.

Cu-

Cujus *Nomenclaturæ* causam, ob quam scil. *Daniæ* olim dicta fuerit *Dacia*, nullam equidem hucusque in ullo Autore potui pervestigare, præterquam in *Kranzio*, infra citando, cum jam totam hanc ad finem perduxissem, aut calamo concepissem, ac jam Typis dare volebam, Epistolam. Et ut ille Conjecturam etiam meram nominat; sic hanc meam, suæ convenientem, rectiori Lectorum judicio unicè relinquens, existimo, rem forsan sequentem in modum se habere. Est ad Mare Balthicum, Soli admodum fertilis Peninsula, è Regione Daniæ, imò Danis aliquando subjecta, Regno Sueciæ, Septentrionem versus, per interpositam, aut contiguam utrique Gothiam, annexa, dicta *Scandia vel Scandinavia*. Quam falso Veteres pro Insula quâdam maximâ, cujus Termini haud æquè sibi noti essent, vel speciatim pro ultimâ Thule habuerunt. In eo tamen minùs quis peccaturus sit, si *Officinam* vel Promptuarium *Gentium*, aut *Vaginam* quamplurium *Nationum*, cum *Jornande* vocare velit, ob Multitudinem quondam Incolarum. Qui Sedibus suis non contenti, adscitis è vicinâ populis undique, ac inter illos Vandalis, ex oppositò Septentrionali Germaniæ Littore coactis, tanquam quodam facto Diluvio, in nullas non, aut potiores Europæ Australioris provincias, se diffudendo, graves admodum exstiterunt Exteris, appellati communi vocabulo *Gothi*, vel aliquando *Germani* etiam, latissimè utrobivis accipiendo Titulos hos, prout *Cluverio* (*lib. 2. Introd Geogr. cap. 5. §. 6.* iidem *Gothi* ac Vandali, expresse vocantur *Germanica Gens*, & cæteroquin non tantùm Rhemos, (Belgicam nationem) à *Cæsare*, vel Æstios, qui totam olim

olim Livoniam ac Prusſiam occuparunt, â *Tacito*, ſed ipſammet Norvvegiam, Suediam, ac Fennos, & quicquid Terrarum Oceano Septentrionali, Muſcoviæque confiniis ambitur, ab eodem *Tacito* ac *Plinio*, ad Germanos priſcos referri, ex alio loco *Cluverii* (*lib. 3. cap. 1. §. 3.*) docemur.

Iſta amplisſima itaque *Gothorum* Veterum, vel *Germanorum Gens*, quam vaſto *Septentrionalium* titulo comprehendere hic placet, quemadmodum cum militaribus Signis in varias Orbis partes emigrando, in diverſis, quas occupabat, depopulabatur, aut aliquandiu obtinuerat, Ditionibus, poſt discesſum ſui, Nomina Nationis ſuæ tam Generalia, quàm Specialia reliquit; quale quid de Narbonenſi Provinciâ Galliæ notum eſt, titulum Languedoc, corruptè ex *Langue de Goth*, occaſione Invaſionis, quam paſſa fuerat â Gothis, adepta, quantumvis aliam Derivationem ſubſtituat *Autor Atlantis minoris Germanici*: ita minimè abſurdum videtur, peregrinarum è contrario Gentium, â ſe ſubactarum, Nomina ſecum quoque in Patriam veteres Gothos forſan retulisſe eodem modo, atque in Hiſtoria *Imperatorum* cæteroquin tritisſimum eſt, nullum Agnomen in auribus ipſorum judicatum fuisſe acceptius, quàm cum de Exteris triumfatis aut irritatis, nunc Germanici, nunc Parthici, nunc Armeniaci, aut quivis alii dicerentur: prout *Juſtinianus* ſuo tempore, *Inſtitutionibus Juris*, tanquam Ædificio in publicum ſtatuendo, ſequentem Titulum grandem, tanquam fulguraturam in omnium oculos, Imaginem præfixit: *Imperator Cæſar Flavius Juſtinianus, Alemannicus, Gothicus, Francicus,*

Germanicus, *Anticus*, *Alanicus*, *Vandalicus*, *Africanus*, *Pius Felix*, *&c.* Et pene miror *Theophili & Dorothei*, *Virorum* cæterà *Illustrium*, quos (*in Proœmio* §. 3.) vocat, quosque condendis Institutionibus admovit, hac ex parte ignaviam, quod labori Se subduxerunt, semel tantum ad Geographica *Ptolomæi* aut *Strabonis* Scripta divertere: Adjectiva certè sic multò plura cõpingere, ex Populorum & Regionũ Nominibus Propriis potuissent. Aut rati forsitan sunt, jam satis tale quid in ipso Contextu (§. 2.) jam innuisse, dum sub personâ & ex beneplacito Imperatoris, sic scribunt: *Et bellicos quidem Sudores nostros Barbaricæ Gentes, sub juga nostra redactæ, cognoscunt: & tam Africa, quàm* ALIÆ INNUMERÆ PROVINCIÆ, *post tanta Temporum spacia, nostris Victoriis, à cœlesti Numine præstitis, iterum Ditioni Romanæ, nostroque additæ Imperio, protestantur.* Et *Trajanus* præsertim, ut ex diversis ejus *Nummis* constat, quà æneis, quà argenteis, unà cum cognomine Germanici, cognomen *Dacici* maximè proprium sibi reddidit, quod victo trans Danubium, Dacorum Rege *Decebalo*, quem Domitiani ignavia superbissimum fecerat, defossisq; in fluvio Thesauris detectis, molestissimis anteà Romano Imperio Dacorum in Italiam Excursionibus, cum Successore *Hadriano*, pulcerrimi Pontis destructore, desiderabilem finem fecit.

Nummi Trajani.

Et hoc pacto fieri potuit, ut antiqui *Gothi*, inque eorum Exercitu *Dani*, in Belli fœdus sumti, ex *Daciâ*, quæ hodie Transylvania dicitur, facti reduces, ipsum etiam *Daciæ nomen* secum ad patrios Lares reportaverint, & servaverint id aliquandiu, postquam videlicet, suc-

ſuccesſu temporum, validisſimæ illæ Septentrionalium, in longiùs disſitam â ſe Pannoniam, Daciam, Sclavoniam, Serviam, Pontum, Thraciam, Macedoniam, Græciam, indeque in Italiam (totam quaſi ab ipſis vaſtatam) & occidentem verſus, in Galliam, Britanniam, & Hiſpaniam (in quâ *Nummos inculti Moduli*, eruditisſimè *â Spanhemio Diſſert. 2. d. Uſ. Num. p. 70. ſeq.* declaratos abortierunt) imò in ipſammet denique Africam factæ Eruptiones, fuerunt iterum repreſſæ. *Nummi Gothici in Hiſpania.*

A cujusmodi Expeditionum bellicarum conſortio interim *Danos* quoque, ut jam ante innui, non abfuiſſe, ex argutisſimi Ingenii, & circumſpecti Eloquii Autore conſtat, *Emanuele Teſauro* (*Proœm. libri de Regno Ital.*) *Capite*, quo de Populis, ex Scaniâ in Italiam digreſſis agit. Ibi enim non tantum (*pag.* 13.) *Danos veteres* vocat *Germogli di que' Goti*, vel Gothorum iſtorum Propaginem, qui Cimbricam Cherſoneſum (Jutiam) acquiſiverant, continuâ Temporum ſerie, in hunc usque diem, Regibus Daniæ ſubjectam: ſed quammaximè actu devenisſe in Scythiam teſtatur, & Sedem ſuam penes Getas fixisſe, inter Sarmatiam ac Tibiſcum, (Hungariæ fluvium, hodie Tyſſa vel Teisſa dictum) uſque ad Danubium, qui proinde â Danis nomen ſuum acceperit: ipſosque Populos, nunc *Danos* aut *Dacos*, nunc Davos, apud Poëtas appellari. Quale quid etiam tradi apud *Joh. Jacob. Hoffmannum, in Lexico Univerſali* videas, quando jamdictum Amnem, *Danubium*, ab Accolis ejus, *Danis*, nuncupatum fuisſe ſcribit. Et prout *Gothi*, vel Cimbri veteres, penes diverſos diverſarum Terrarum populos, diverſa Cimbrorum, Cimmeriorum, Gothorum, Getha-

tharum, Davorum, *Dacorum*, aut Gepidarum Nomina, indistinctim fere acceperint, imò universæ quasi Gothicæ Expeditionis Summa, penes Cimbros præsertim, h. e. Jutas, vel *Danos* exstiterit, id notantiùs utcunque apud *Joh. Trösterum*, *in nov-antiquâ Germanicâ Daciâ*, *lib. Cap. 4. pag. 15* - expressum vide. Et jam sub initium specialis Discursus hujus dixi, quatenus bono omine, cum jam Typographo tradenda esset hæc qualiscunque Epistola, ὁμόψηφον tandem invenerim *Kranzium*: qui itidem (*lib. 1. Suec. Cap. 5. & 6.*) suspicatur, *Daciam Ripensem*, (qua intelligit Jutiam, Daniæ partem haud incelebrem,) inversione quadam, nomen haut-dubiè â Sociis Gothorum, qui Daciam cisdanubianam tum impleverant, traxisse. In quem sensum pluscula porrò apud *Eundem*, *ibid. sub finem Capitis* 34. legas.

Neque enim his amplius immorabor, cum jam longiùs forte, quàm par est, digressus sim. Quin quod in antecedentibus cœpi dicere, directè nunc repeto ac inculco, de Rudioribus istiusmodi, paulò ante enumeratis, Septentrionalium Nummis, nec præcisè *Henninio* nostro, sub titulo Inconditorum, nec Mihi hic pluribus sermonem esse: sed peculiariter ac seorsim *Romanos Nummos Græcè inscriptos*, ab *Autore* intelligi, Mixturam unius vel alterius Latinæ Literæ habentes.

Nummi Romani rursùm, Græcè inscripti.

Quæ Sculpturæ Anomalia certè, aut ruditati Artificum, aut novaturientium Græculorum calliditati, indubiè venit tribuenda; postquam videlicet *Adulandi Gens prudentissima* (sunt verba *Henninii*) in Romanorum Ditionem esset redacta.

Ut proinde opus non habeamus, verum Ævum deflo-

defloreſcentis Artificii Numismatici, cum *Ant. Auguſtino* (*Dial. 1. pag. 6. E.*) in Temporibus illis quærere, quæ atroci Barbaireri immerſa, poſt *Juſtinianum*, qui A. C. 527. ſeq. floruit, Orbi incumbebant; vel retrò affatim in tempore *Gallieni*, (A. C. 261.) utpote usque ad quem, judicio dicti *Auguſtini*, jam inde ab Alexandri ævo, Ars Monetaria, ad ſummum quondam perducta, utcunque viguerit, ſed poſtmodum inſigniter fuerit collapſa: vel adhuc retrò magis, in Imperatoris *Severi* (A. C. 195.) regimine, utpote ad cujus & *Antoninorum* (A. C. 162. & 137.) tempora, ab ævo Auguſti, *magnâ cum Artis & Elegantiæ admiratione*, ut eſt apud *Spanhemium* inclytum (*d. uſ. & Præſt. Num. Diſſ. 1. pag. 35.*) *in omni Metallorum genere*, Res Nummaria, in ſummo quaſi Perfectionis culmine, fuerit conſtituta. Sed jam *Hadriani* ævo, (A. C. 117.) Corruptelas aliquas, in hoc genere, irrepſiſſe dolet noſter *Henninius*, in antè-citatâ (ſub initium hujus Membri) *Paginâ* 122. ſic ſcribens: *Præferunt inſulſas illas Mixturas Columna Farneſiana apud Gruterum in Inſcriptionibus, & Nummi nonnulli Hadriani, cum Epigraphe:* ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΜΝΟϹ ΑΔΡΙΑΝΟϹ. *Item Nummus ille, cum Catamito Hadriani*, addito Epigrammate: ΔΙΥΟϹ ΑΝΤΙΝΟΟϹ. *Nummi Hadriani. Nummus Hadrianæus Antinoi.*

Quorum intuitu, quid Saul inter Prophetas? poſſemus hîc dicere. Aut, ut ſeriò loquar, quid vel *Vau* Latinorum hîc, vel S. eorundem iſthic, in Characterum Græcorum agmine?

NB.

Sed hoc videlicet poteſt ſtare loco Exempli eorum,

rum, quæ aliàs interdum dixi; Ab Inscriptionibus Veterum, in Philologiâ & Critica iisdem nimiùm fidentes, Nos sæpe horrendum in modum decipi; atque in simile præcipitium â nobis agi alios, quoties Errorem aliquem, ex minùs accurati quondam Artificis culpâ simpliciter dependentem, vi Præjudicii, & arreptæ Traditionis, veneramur, tanquam Oracula, juxta nescio quàm subtilem ejus Temporis genium prolata. Cum tamen certo certius sit, & Experientia unumquemvis facile sit doctura, quemadmodum nostro Seculo, quod multo cultius arbitramur, in nullo non Artium genere, quàm erat priscum (etiam Augustæum) si Cippus aliquis erigendus, Tabula memorialis ænea affigenda, Columna vel Arcus inscribendus, aut Monumentum quodvis aliud, in gratiam Posterorum, publico omnium conspectui, non sine pompâ & sumptibus, exponendum sit; Nos tamen ubivis non adeò felices esse posse, aut Argi oculis instructos, ut Lapicidæ & Statuarii, per omnes omnium Literarum ductus & apices, ad Regulas veræ Orthographias, Eumetrias, & Tacticæ, se componere velint, precioque conducti licet, ad amussim obtemperare nostris jussibus; quin sparsim absurdi quid, quod Saxo vel Æri impressum amplius emendari non potest, maximè invitis Nobis, haud raro interserant; quod post duo tria secula dein, Posteri, quoniam imperito & morosо Artifici ipsimet non adstiterunt, habituri (imò juraturi) sint, tanquam ex proprietate Linguæ tum florentis, & Ingenio fuerit, peculiariter profectum: Ita Romæ quammaximè, ubi stupenda erat Colluvies Hominum, & mediocrium ac malorum non minor, quàm bono-

bonorum Artificum copia, sæpenumero non defuisse occasiones, queis Pseudographiam pro emendato Opere, Monumentis impingerent, & superstitiosè-credulam Posteritatem, inficetum quidvis, (modo antiquum), pro pulcro aut genuino, Nebulamque pro Junone habentem, egregiè circumvenirent.

Cujus generis jam erat *Nummus* iste *Hadrianæus* cum inscriptione, AIVOC ANTINOOC, in honorem turpissimi Juvenis, *Antinoi*, ab Imperatore, publico usui datus.

Ac ne forsan solus is videretur, inter præstantiora veteris ævi Numismata, antoritatem aliquam (Pomi natantis) sibi arrogasse, depictus apud πολυμαθέστατον *Cuperum* (*in Explic. Numism. Antiq. pag. 243.*) ecce mihi, quibusdam haut destitutum Fraterculis: quorum unos ac alteros, Græcè inscriptos, sed ob Mixturam Latinæ Scripturæ similiter deformes, ex latebris reducam. Præcipuèque unum, omnium lepidissimum, *Hamburgi* observatum, *in Bibliothecâ Senatûs*, ad S. Johannem publicâ, æneum, ut antecedens Hadrianæus, 23. magnitudinis, Artificii haut contemnendi, imò pulcrè exstantis. Quem proinde actutum notavi, & Perigraphas transscripsi: ne scil. qualicunque culpâ (minimùm meâ) periret tam eximiæ rei memoria. In eo tamen Hadrianæo dissimilem, quod Latina quidem, Græcis immixta gerit, veruntamen non Romanis, sed Græcis Literis expressa, hác Taxi; si Ordo dici meretur de iis, quæ plane incondita sunt.

Nummus Commodi, Græco-Latinè inscriptus;

In potiore nimirum Latere, Caput ac Humerus Imperatoris: â cujus Cervice perpendiculariter: AYT. IMП. & ante Faciem, M. KOMOΔ. ANT. In altero Latere Leo,

Leo, Capreæ vel Equo insultans, cum Epigraphe, itidem rectilineâ : ΦΟΕΛΙΚΙΤ. ΑΤΓ. Quibus Inscriptionibus, supra modum ingeniosis, quid denotetur, assequutu non est difficile. Per ΑΤΓ. videlicet AUG*ustus*; pro quo Nummi Græci correctiores canonicè aliàs τὸ ΣΕΒΑΣΤΟΣ adhibent : per IMΠ. IMP*erator*; pro quo rectiùs ΑΤΤΟΚΡΑΤΩΡ fuisset positum : perque M. ΚΟΜΟΔ. ΑΝΤ. M. COM*modus* ANT*onius* subintelligitur - Qui velut erat ab Antonino Pio, Imperatore pacifico, adoptatus; post transactos vero Annos Imperii quasi tredecim, ob sævissimam Tyrannidem strangulatus : ita finis sui ipsius simul, finis Familiæ Antoninorum fuit.

Ac deinde, dum per τὸ ΦΟΕΛΙΚΙΤ. ΑΤΓ. FOELICI*tas* AUG*usti* debet intelligi, ò quam longum imprimis, latum, crassum, profundum, gravem & hirtum, hìc palpamus Artificis illiteratissimi Errorem! *Felicitatis* enim vocabulum, quando aut quorum intercessionibus, aut quo usu, unquā legitur â Græcis, aut aliis, in Nummorum Græcè inscriptorum, Rempublicam assumta? Nisi æque inficetam Inscriptionem pro Clypeo assumas; cujus hæc sunt Verba initialia apud *Reinesium* (*Class. 12. Inscript. 36. p. 663.* ΦΗΛΙΚΙΣΣΙΜΗΙ (i. e. Felicissimæ) ΘΥΓΑΤΡΙ ΓΑΤΚΥΤΑΤΗΙ. Tum etiam quid sibi vult *Lambda* minutuum (λ) quadratis Græciæ literis insertum? Quantumvis hautquaquam diffitear, Literam O tamen etiam in medio Inscriptionum Monetalium Veterum tam Græcarum, quam Italicarum, mensurâ reliquis literis sibi appositis aliquantum minorem, expressam apud *Goltzium* ac alios reperiri quamfrequentissimè. Imò, (ne hoc diffitear,) ipsummet λ. parvum mediis

Voci-

Vocibus insertum rēperio in Lapide veteri Liberti cujusdam, qui erat Adjutor vel Decurio Tabulariorum, sic inscripto apud *Reinesium eundem (Inscript. Class. 9. num. 29. pag. 560.)*

D. M.
IΛNVΛRIΛE
MΛTRI PIEN
TISSIMΛE
IΛNVΛRIVS AVG.
N. ΛDIVT. TΛBVL.

Sed in proclivi est, non Literam L. sed A. per λ. istud hic notari; quo schemate cæteroquin Literam A. jam longissimè ante Græcos, ullâ Inscriptione claros, imprimis Gothi veteres ac Dani utebantur, ut ex *Verelii Runographiâ, & Wormio, de Literaturâ Dan. cap. 6. pag. 49.* constat. Tum & duplex λλ. pro M. & simplex. λ. pro A. positum video in aliâ quadam, rursus apud *Reinesium*, Epigraphe; (*Class. 18. Inscr. 14. p. 869.*)

D. M.
λ. CORNELIVS ΛPRILIS
CORNELIAE NYMPHΛE
PATRONΛE OPTVλλΛE.

(i. e. Optumæ) Inque aliâ (Græcâ) identidem (*Class. 20. pag. 902.*

ΑΤΡΗΛΙΑ ΘΡΕΠΤΗ
ΑΤΡΗΛΙΩ ΗΛΙΟΔΩΡΩ
CΤλλΒΙΩ ΓΛΥΚΥΤΑΤΩ.

Et quantum ad Nummum *Commodi*; Imperatori inficeto ac planè *Incommodo*, utique forsan commodior aut comptior Monetæ Inscriptio, vix competebat.

Eademque rusticitate in quadam Inscriptione Romanâ expressam Vocem ΦΕΚΙΤ, pro FECIT, apud *Celeberrimum*, quem modò nominavi, *Reinesium* (*Class. 13. Inscript. 1. pag. 697.*) invenias, hác taxi:

K. Θ.
AIAIA. MAΞIMA
ZOTAIAE. EIPINNH
MATRI BENEMERENTI
ΦΕΚΙΤ.

Quam vero justâ *Reinesius* è vestigio plectit Epicrisi, hæc addens: *Græcam dare voluit Marmorarius, at non potuit, nisi admisceret Latina. Unde de Ætate constat, esse nimirum Opus cadentis Literaturæ Romanæ, Romæ. Habemusque hujus generis, inter monumenta Christianorum, Seculi quarti quintique plura.* Quò maximè spectat illa, quam *Idem* (*Class. 20. p. 920.*) habet, hunc in modum: ΘΗG VΩPϑHAYVGV ΑΛΛΗΕ PVPGHVGVVV ΛΑTVGTTPΩΦΗϑΕ CVM ΦAMHΛIA TΩTA QVHE OCVKT HK TΓAKE TEΩΦHΛAAK-CHΛΛA ΦECHT: i. e. *Hic Gordianus, Galliæ Nuncius, jugulatus pro Fide, cum Familia totâ: Quiescunt in Pace. Theophila Ancilla* FECIT. Egregium utique partum animi doctissimæ Fœminæ!

Nummus Juliæ Domnæ.

De *Nummo Juliæ Piæ* tamen, quo Cyprienses & Pergameni, suum erga Augustam hanc Imperatoris Severi Conjugem, affectum sunt contestati, inscribendo illum his verbis; IOTAIA ΔOMNA ΣEBAΣTH, ut est apud *Patinum* (*Thesaur. Numism. cap. 6. pag. 185.*) & *Johannem Vaillant* (*d. Num. Imperat. Tom. 2. pag. 113.*) decernere non ausim, syncopatam Vocem Latinam, Literisque Græco-Latinis expressam, quasi ΔOMNA, pro DOMINA positum

tum esset, exhiberi: quo titulo specialiter cæteroquin *Matres Augustorum* quondam honoratas fuisse, alius quidam Autor existimat, apud *Illustrem Spanhemium* (*d. Us. & Præst N. Diss. 7. pag. 626.*) citatus. Nam potiùs proprium Cognomen Matronæ illius fuisse, ostendit modò laudatus *Excellentissimus Vir*; & non infrequentem in Oriente ac Ægypto occurrere, apud Autores Ecclesiasticos, DOMNI & DOMNÆ appellationem; restituens (ex hac hypothesi) Textum *Digestorum in Lege quadam de Legatis*, ubi Julii Agrippæ primipilaris Neptis, *Julia Domina* vocatur, cum *Domna* legendum esset. Et majoris adhuc erroris convincit Inscriptionem in veteri quodam apud *Gruterum* Lapide, quo pro *Julia* DOMNA, planè DOMINA legatur: addens, â DOMNA cæteroquin etiam factum fuisse DOMNICA, quo nomine Valentis Uxor vocetur apud *Socratem*, Historicũ Ecclesiasticum: exemplo illustri, quod dato interdum Absurdo, vel, ut mollius hic loquar, dato Errore uno, per ignorantiam orto, facile succrescant plures alii.

Et de *Nummis Inconditis* antè adductis, Hadrianæo *Antinoi*, Hamburgico Imperatoris *Commodi*, aliisque reprehensione dignis, similibus, hoc addo; per Inconditam isthanc, Literis Græcis Latinas miscendi licentiam, occasionem Posteris facilè dari posse, ipsummet Græcum aliquem Characterem, pro Latino adspiciendi, valoris prorsus heterogenei. Literam H. videlicet, Latinorum E. longò æquivalentem, pro adspiratione H. Literam P. (*Rho*) pro Latinorum P. Literam C. (vel *Sigma*) pro Romano C. tertiâ Alphabeti Literâ. Vel Literam X. (*Chi*) pro Latinorum X. in Voce Xerxis bis

occurrente. Aut plane eandem etiam, pro Latino K. prout tale quid, circa Græcam Literam P. vel *Rho*, præponere in Latinum P. conversam, Vocubo MAPINOΣ, per supinitatem *Stradæ* & *Chanleri*, in Latinum MAPINUS, (quod MARINUS verti debuisset) transfigurato, contigisse; non facile rursus sine Encomio â Nobis hic allegandus *Gisbertus Cuperus*, *in Explicatione Numismatum Antiquor* quæ editæ suæ pererudítæ Apotheosi Homeri annectitur, *pag. 244.* memorat.

Hæcque circiter sunt, DIECMANNE *Excellentissime*, quæ Commentarii vicem Textibus illis attexere volui, in quotquot horum *Henninius*, Vir, ad ducenda in altum Studia comtiora, inque iis Hellenismi veteris flexanimam Suavitatem, ad pristinum decus & glorias cum Tempore reducendam, quasi natus, *in Paradoxo* publicæ Luci dato, *aliquam Nummorum mentionem* inseruit, & ab his ipsis Nummis longè validissimam, adversus petulca Accentuum Cornua, Argumentorum vim deduxit.

Aut dixerint nobis Grammatici, quo brachio alio *Autor* tutò satis potuisset retundere aut exstirpare grandes illas Nænias, quæ nullo florentis veteris Ævi suffragio suffultæ, in Scholas ac Auditoria, a posterioribus Seculis irrepserunt; si Ευέπεια vel Ορθοέπεια, quæ â Naturâ imprimis dirigitur, Accentuumque ad Modulandum utilitas vel inutilitas, non præcipuè sit ex Monumentis antiquis ac Nummis, utpote Autoritate publicâ, & juxta genium usumque Linguæ, qui florente Græcismo Athenis ac Romæ viguit, percusis æstimanda?

Quin

Quin tempestivum nunc planè videbitur, ut facem adeò lucidam Nobis ac Posteris præferente *Henninio*, Accentibus, tanquam Fustibus, vexatas & profligatas revocante veteris Eloquentiæ Græcæ delicias, summatim concludamus: *Aut rejiciendos iterum esse Accentus*, ne Modulationem turbent, tanquam Figmenta novitii Temporis, & post captam præsertim Constantinopolim, ut jam supra (*pag. 5. sequ.*) innuimus, ab Italis traducta ac introducta in Germaniam, postquam vetustioribus Seculis, & ante ipsummet Christum, ut docemur à *Vossio*, hoc saltem fine essent inventa, ut inservirent loco Signi aut Diagrammatum, unde Cantus cognosceretur, & quibus Iuventus in Arte Metricâ erudiretur; nullatenus verò, ut Modulationem Vocum in Pronunciando dirigerent: *Aut fore*, (1.) pro Naturâ Vocalium, brevium aut longarum; (2.) pro earundem in Diphthongos Coalitu; (3.) pro Severitate Positionum; & (4.) pro Ancipitum usu antiquo Poëtico, ad Barbarodiam tandem qualemcunque vitandam, in plerisque Vocabulis Græcis, *aliter collocandos*. Nec quicquam Difficultatis hic superesse arbitror, quæ ullâ efficaciâ, genuinæ Pronunciationis antiquæ Restitutioni possit obsistere, ipsamque adeò Praxin, ad quam omnia denique, ab *Henninio* proposita, merito revocanda videntur, insigniter morari, quàm hunc ipsum, veterum Poësi convenientem, rectum usum Ancipitum. Interim nihilominus masculè satis Causam suam egit *Henninius*: certusque sit de honorifico applausu præsentis Seculi, quandiu plus justo non dabitur Præjudiciis, & Consuetudini receptæ.

Tuumque esse velis, DIECMANNE *Magnifice*, cujus multiscientiam planè singularem non amo, sed veneror, cujusque prorsus indomitos, in omne Literaturæ Sacro-profanæ, veteris, novæ, Pelagus Te submergendi Ausus, privatim sæpe obstupeo, ac defæcato proin, hoc quicquid est, Judicio committo: Tuum esse velis, Foliola hæc, infucati Amoris signum interpretari quamcomiter, atque Erroribus, si qui per festinationem illapsi fuerint, benevolè condonare. Bene Vale. Scribeb. Kiliæ, medio Maji, 1685.

I. D. M. D.

Post-Scriptum,
in gratiam Lectoris.

*

NOn inutile quidem futurum fuisset, totum *Clar. Henninii Libellum*, utpote in Germaniæ Bibliopoliis haut facilè prostantem, ad eò meliorem (imò plenissimam) Lectoris informationem, vel præfigere, vel subnectere, prægressæ huic Epistolæ: quia tamen curiosâ speculatione dignam, quæ ibi agitatur, *de Modulatione Græcanicâ*, controversiam, non totam feci Meam, sed quatenus aliqua ejus pars, Argumenti vim *ex Numismatum veterum Collatione* quærit; tum & injustum videretur, præfestinâ Editionis iteratione, inconsulto *Autore* & Bibliopolâ, cujus impensis Scriptum id in Belgio recentissimè saltem in publicam Lucem ivit, jam dicti Impensoris

foris obstare progressibus: eapropter, quod facilè nemo Mihi vitio vertet, ab instituto hujusmodi statim destiti.

Ne tamen etiam Exspectationes quorundam omnimodè frustrarem, placuit mediâ viâ incedere, & ad parandos utcunque distinctiores de receptâ *Accentuum* in *Modulationem Græcam Tyrannide*, conceptus, Meditationes quasdam, de eodem Argumento, in magno pridem magni VOSSII Ingenio pronatas, in medium proferre, utpote quibus *Henninius* quidem Se, aliquâ ex parte præventum dolet: sed & seriò testatur, non visum sibi *Libellum* pridem editum, inque ipsomet Belgio repertu difficilem, laudati *Vossii*, *de Viribus Rhythmi & Poëmatum Cantu*, fuisse, cum suum *de Hellenismo correctius modulando Paradoxum* jam confecerat.

Quique candor *Henninii* est, Ipsemet loco Coronidis, inque complementum ac decus Doctrinæ elegantissimæ, ipsa Verba Tanti Autoris, sequentem in modum superaddit.

*

ISAACI VOSSII, de Accentibus Græcanicis SENTENTIA.

Frustra simus, si id, quod omnes norunt, velimus doceres, quàm nempe fluxa & lubrica res sit Sermo humanus, quamque nullæ usquam Terrarum reperiantur Linguæ, quæ vel ad pauca Secula integræ & inviolatæ perstiterint. Si Vocabula

cabula ſpectes, immutantur plurimùm; minus tamen, quam Vocabulorum ſonus, qui raro, vel ad vitam hominis perſeverat. Quapropter nequeo ſatis mirari, inter hujus ævi Literatos non deeſſe complures, qui Linguæ Græcæ Pronunciationem ab heroico usque ſeculo, ad hæc noſtra tempora, ſinceram & illibatam permanſiſſe exſtiment; ac ſic non omnium naſcentium eadem eſſet Conditio, & Naturæ curſus, & fatalis neceſſitas, ------ interrumpendus ſit, ne ſcilicet intempeſtivis & male doctis hominibus ineptiendi præripiatur occaſio. Adeò palam & manifeſta ſunt, quæ de literarum & vocabulorum ſono nobis tradidere Veteres, ut ſiquis contra hæc hiſcere audeat, is neceſſe ſit, habeat os nullum, vel potius pugilis. Literarum quod attinet ſonum, eum expertem fuiſſe omnis mutationis, non tantum florentibus Græciæ rebus, ſed & quamdiu Romanum ſtetit Imperium, teſtantur plerique Græci & Latini Grammatici, quotquot de literis ſcripſere. Si quis dubitet, aut aliter exiſtimet, legat vel ea ſolum, quæ habet Dionyſius Halicarnaſſenſis de Verborum Compoſitione; ubi adeo exacte & perſpicuè tam Vocalium, quam Conſonarum poteſtatem declarat, ut ſi

quis

quis iis lectis hæsitare non desinat, & pergat credere, Beta *sonuisse ut* Vita, *aut vocales* H. I. & Y. *eodem pacto pronuntiatas fuisse; is infelicis omninò ingenii, & cuivis potius rei, quam literis tractandis natus esse videatur.*

Diphthongorum non eadem est ratio. Eas integras fuisse & vere diphthongos, ita ut utraque vocalis exaudiretur, quamvis vel ipsum testetur vocabulum, certius tamen colligitur e scriptis illorum omnium, qui floruere, antequam Græcia Romanis serviret. Claudii & Neronis temporibus mutata demum fuit pronunciatio: tunc quippe præcipuè usus invaluit, ut diphthongi absorberentur. Quod ipsum quoque Latinæ contigit Linguæ, utpote in qua Bivocalium usus maxima ex parte cessarit jam diu ante ætatem Ciceronis. Conatus quidem fuit Claudius Cæsar, revocare veteres & jam obsoletas diphthongos; sed nullum est tam amplum imperium, quod efficere possit, ut pronunciatio semel amissa, in integrũ restituatur: Cùm nunqam alias, tum præsertim id fieri non poterat in Seculo, luxu & mollitie diffluenti; quo histriones latius regnabant, quam ipsi Imperatores: quòq, qui gratiosi in aula esse volebant, adeo fastidiose

delicati cupiebant videri, ut durioris alicujus syllabæ allapsum ad aures, haud secus, ac hostile telum reformidarent. Non tantum insolens quid, sed & vastum & rusticum præseferre videbantur diphthongi Al, & Ol: nec defuere credo, qui fauces non satis patere, nec sine dolore in tam latos sonos diduci & explicari posse adfirmarent. Sine mora itaque a Romanis transiit vitiosus hic pronunciandi ritus ad Græcos, gentem adulandi peritissimam, frustra reclamantibus doctis & antiquimoris studiosis; qui, licet aliquandiu restitere, brevi tamen & ipsi quoque in mollius loquendi genus concesere: & adeo quidem, ut Trajani & Hadriani seculo bivocalium usus penitus cessasse videatur. Hinc est, quod in illis Marmoribus, quorum Inscriptiones factæ sunt post ea tempora, vera diphthongorum confusio appareat, cum E. pro Al, I. pro Ol. vel El. passim occurrat; cum tamen in vetustioribus lapidibus Orthographiæ ratio optime sibi constet. Hinc quoque nata sunt tot Grammaticorum de Diphthongis volumina, quæ nihil fere aliud continent, quam quibus literis quælibet voces exprimi dedeant; quale nihil in veteri Græcia contigisse constat, quandiu nempe eadem Scripturæ,

& Pronunciationis viguit ratio. Infinitis hæc Teſtimoniis confirmari poſſint: ſed cum alibi de his egerimus, plura hoc loco non addam.

Supereſt Proſodia, ſeu Accentuum ratio, non præcipua tantum, ſed & unica propemodum Cauſa, quæ Muſicam & Poeticam artem evertit, penitusque peſſundedit. Si enim ſpectetur, quæ circa Literarum Diphthongorumque Sonum facta eſt mutatio, ea quidem nonnihil attulit detrimenti; quantumque tamen id fuit, ſalvus nihilominus & integer Carminum perſtitiſſet cantus, niſi nova Proſodia veterem pronunciationem prorſus immutaſſet & ſuſtuliſſet. Olim quippe, florentibus etiamnum Græciæ rebus, longe alia Proſodiæ & Accentuum erat ratio, quam quæ poſtmodum à magiſtris reperta & introducta fuit. Non Veteres tantum Grammatici ſed & ipſum Vocabulum manifeſtè teſtatur, Proſodiam verſari circa cantum verborum; ideoque in antiquuſſima & primaria ſignificatione ſic definitur: προσῳδία ἐϛι τόνος φωνῆς, πρὸς ὃν ᾄδομεν: Proſodia eſt tenor vocis, ad quem canimus. *Hinc facilè colligitur, non Grammaticorum, ſed vero Muſicorum olim fuiſſe notas, ſeu diagrammata proſodica, unde*

cantus cognosceretur, appingere poematis. Cum vero omnis sermo sit veluti cantus quidam, translatum est ad quorumvis etiam verborum pronunciationem hoc vocabulum; unde demum occasionem arripuere Grammatici, ut Accentus musicos suis usibus accommodarent, ad declaranda tempora & syllabarum quantitatem.

Primus Grammaticorum, qui Accentus istos usurparit, is, si Apollonio, Arcadio, aliisque Græcorum magistris fidendum, fuit Aristophanes literator, circa tempora Ptolomæi Philopatoris & Epiphanis. Hujus discipulus Aristarchus, præceptoris insistens vestigiis, auxit & illustravit Accentuum numerum, idemque studium tenuit Dionysium Thracem, Aristrachi auditorem. Nec aliam institere viam, qui postea in Schola Alexandrina invicem sibi successere, Apollonius nempe Discolus, Origenes, Agapetus, Philoponus, Sergius, Apollonius Iunior, Aristarchus Iunior, Ioannes Charax, Auxonius, Herodianus magnus, Georgius Chœroboscus, & complures deinceps alii, qui omnes quanto ætate posteriores, tanto pluribus præceptis

ptis Accentuum rationem involverunt, ut multa horum, quæ supersunt, satis declarant Scripta. Usque ad tempora Antonini & Commodi Impp. perstitit nihilominus antiqua & fere integra loquendi ratio, ut opus non fuerit totidem apicibus Spirituras onerare, ac posterioribus factum sit seculis, cessante nempe ac penitus collapsa vetere pronunciandi ratione. Quam recens sit usus apponendi istiusmodi Accentus quibuslibet scripturis, hoc satis declarat, quod in nullis Marmoribus, nullis Numismatis, nullis denique Codicibus, qui quidem mille aut nongentis annis antiquiores sunt, Virgulæ aut apices ulli compareant. Unde satis evidenter patet, toto intermedio tempore, quod ab Aristophane Grammatico effluxit, usque ad id tempus, quo Accentus adscribi cœperunt, per spatium nempe octo vel novem seculorum, haud aliis usibus adhibitas fuisse a Grammaticis Accentuum notas, quam ad erudiendam in arte metrica juventutem. Nec tamen existimandum, similem, ac nunc passim recepta est, olim quoque fuisse Accentuum rationem. Quis enim cantus aut Lectio subsistere possit, si quis Homericos Versus ita, ac vulgò fit, pronunciet?

Ἠέλιος δ' ἀνόρθσε λιπὼν περικαλλέα λίμνην
Οὐρανὸν ἐς πολύχαλκον, ἵν' ἀθανάτοισι φαείνῃ
Καὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.

Longè aliter Veteres. Sic nempe illi Accentus dirigebant:

Ἠέλιὸς δ' ἀνορθσε λιπὼν περικάλλεα λίμνην
Οὐρανον ἐς πολυχάλκον ἵν' ἀθανάτοῖσι φαείνῃ
Καὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν ἐπὶ ζειδῶρον ἄρουραν.

Vera esse, quæ affirmo, libenter agnoscet is, qui veterum Grammaticorum, Dionysii Thracis, Apollonii Alexandrini, Aelii Dionysii Halicarnassensis, Aristarchi Iunioris, & aliorum, quæ supersunt, scripta & fragmenta evolvat. Sed & ex iis, qui omnium manibus teruntur, Compilatore videlicet Etymologici magni, Eustathio, idem observare est, utpote qui non uno loco testentur, in antiquis Exemplaribus, & præceptis Veterum Grammaticorum, longe diversam Accentuum occurrere ra-

rationem ab ea, quæ postmodum placuit. In iis enim monent, non scriptum fuisse ἕτοιμον, ἔρημον, τρόπαιον, *sed* ἑτοῖμον, ἐρῆμον, τροπᾶιον. *Item non* ταχύτης, ταχύτητος, & βραδύτης, βραδύτητος, *sed* ταχυτὴς, ταχοτῆτος, & βραδυτὴς, βραδυτῆτος, *& sic in cæteris omnibus, ita ut Accentus veræ & naturali syllabarum semper conveniret mensuræ. Iidem quoque docent, non tantum vocalibus dictionem inchoantibus, sed & mediis dictionibus Spiritus apposuisse Grammaticos veteres, ut in* δυσόρμος, δυσήνιος ἐφῆβος, εὐήμερος, φιλίππος, *& sic in cæteris. Nec tamen una eademque omnibus Græciæ populis ratio fuit; pro varia quippe pronunciatione, variabant quoque Spiritus. Itaque Iones, & præcipue Æoles, qui inplerisque erant* ψιλωτικοὶ, *& nulla omnino utebantur adspiratione, scribebant* ταῶς, ἆυος, & ἀυαίνεν. *Attici verò, qui in pluribus erant* δασυντικοὶ, *scribebant, aut potius pronunciabant,* ταῶς, ἆυος, ἀυαίνειν. *Sed & pleræque fere mediæ ætutis dictiones, quibus Latini V consonans addidere, spiritu aspero ab iisdem Atticis proferebantur, ut* ὦὸν, ἀιῶν, ἀόρνος,

ovum

ovum, ævum, Avernus. *Quamvis vero, etiam diu antequam novaista Prosodia introduceretur, vera & genuina Linguæ Græcæ pronunciatio multum labefactata esset, non defuere tamen antiquitatis Studiosi, qui in pangendis carminibus, veteris Poeseos leges satis pro captu suo religiose observarint, sed eruditis, & Vetustatis amantibus magis placuere eorum carmina, quam Musicis & cantoribus; qui cum præcipuè in eo laborarent, ut auribus satisfacerent theatrorum, imprimis cavebant, ne relicta Seculi sui pronunciatione, insolitum quid sonarent: ut mirum non sit, neglecto verborum cantu, citharœdos & pantomimos longe gratiores eo tempore fuisse, quam veros & legitimos musicos. Hinc illa Maximi Tyrii querela de exstincta sua tempestate veteri musica, hinc quoque frequens illa parœmia:* ἐκκέκοφε ἡ μουσική. *Nec male judicat Suidas, ubi de Hypatia Theonis agit filia, non esse verisimile, inquiens, id quod vulgo dicitur, illam juvenem sui amore correptum, musicæ curasse beneficio, cum musicæ potestas jam diu ante Hypatiæ ætatem penitus exsoleverit. Quod si jam illo tempore, multo magis subsequentibus seculis, immutata fuit Prosodiæ ratio, & adeò quidem, ut à multis abhinc*

hinc seculis vix aliquis in Græcia fuerit repertus, qui sciat, quid sit metrum, nedum qui & ipse alicujus momenti poema ausus fuerit aggredi. Si quis itaq; hodiernos Græcorum Accentus seu prosodiam sequatur, & legat carmina vel Homeri, vel cujuscunque alius antiqui Poetæ, nullos omninò pedes, nullum vel metrum vel rhythmum agnoscet, nihil quod numerosum sit, vel aures afficiat; sed Sonum absonum, & ridiculum, & Versus, qui cantari nequeant, deniq; quidvis potius, quam carmina intelliget. Eo sunt redacti miseri Græci, ut nec legere, nec cantare Græcè sciant, amissoq; omni pristino cultu, cum cæteris barbaris ritibus, musam quoque barbaram sint amplexi Iam â mille & pluribus annis, nullum ferè aliud carminis frequentarunt genus, quàm Versus, quos illi politicos *vocant, ideo nempe, quod aliquam similitudinem habere videantur cum iis versibus, quos inter novem Heroicorum species Grammatici recensent; quique quod nullos moveant affectus, sintque maximè humiles, populares & pedestri similes sermoni, ideo* πολιτικοὶ & λογοειδεῖς *appellantur, cujusmodi est iste* ἵππος δὲ ξανθὰς ἐναλὸν καὶ πεντήκοντα. *Si quis vel Homeri, vel alio-*

rum poëmata, ad legem vulgarium Accentuum exprimat, complures istusmodi versus deprehendet; ut minimè dubitandum sit, quin, corrupta heroici carminis pronunciatione, Versus isti politici *originem traxerint. Observandum tamen, quem ad septem hexametri non æqualem semper Syllabarum continent numerum; cum aliquando tredecim, aut etiam duodecim tantum, nonnunquam verò ad septendecim extendantur syllabas, ita neque politicorum versuum eandem semper esse rationem, cum nonnunquam duodecim aut tredecim, aliàs quindecim, quandoq; verò septendecim absolvantur Syllabis. Qui duodecim aut tredecim tantum continent syllabas, ii similes sunt versibus illis, quos & nostrates, & Galli, in suis vernaculis linguis* Heroicos *perperam vocant, licet majorem Accentuum Græci habeant rationem, quam Galli, utpote qui non naturalem tantum syllabarum quantitatem, sed & ipsos quoque utplurimum negligant Accentus. Hoc attamen Carminis genus raro apud Græcos occurrit; sed vero, qui quindecim syllabis decurrant versus, frequentissimè reperiuntur: & hoc numero gavisi sunt Tzetzes, Constantinus Manasses, & innumeri alii, qui hanc mensuram diligentissimè observavere. Si neglecta*

an-

antiqua & naturali ſyllabarum quantitate, ſolum obſerves ſonum, maximè ſimiles ſunt tetrametris Archilochiis catalecticis. Quod ſi ſeptendecim aut plurium forent ſyllabarum, jam merito ridebantur, veluti πολύποδες, præſertim ſi conſonis abundarent literis. Quippe ſi puris ſyllabæ terminentur vocalibus, jam, ut monet Euſtathius, agens de verſibus politicis ad primum Iliad: Λανθάνει τὸ πολύπουν τῇ ταχείᾳ συνεκφωνήσει τῶν φωνηέντων, καὶ σώζεται ὁ τροχαϊκὸς ῥυθμός. Qui primo iſtiusmodi verſus uſurparunt, licet κακοζηλίᾳ laborarint, non tamen omnino ſyllabarum neglexerunt rationem; ſed vero, qui proxime elapſis ſex ſeptemve floruere ſeculis, cum viderent, ſe ævi ſui auribus non ſatisfacere propter immutatam pronunciationem, omiſſa antiqua & naturali Syllabarum quantitate, ſolam vernaculorum Accentuum habuere rationem, ſatius ducentes, a Veterum præceptis, quam a recepta ſuis temporibus recedere conſuetudine. Hic finis, hæc denique ultima fuit meta Poëticæ; ſimul Muſicæ, (addo & ἐυεπίας Græcæ) nobiliſſimarum quondam artium, quamdiu literæ & ingenia Græcorum floruere; nunc vero adeò infelicium, ut ne reliquiæ quidem priſcæ ſuperſint Gloriæ, per-

ierintque, nulla prorsus relicta posteritate.

Item Pag. 31.

Quoscunque sequi malueris, illud firmum fixumque manet, Veteres Accentuum habuisse rationem longe diversam a spuriis istis Accentibus, qui hodie in usu sunt; quos si admiseris, nunquam efficies, ut vel cantus, vel forma carminis sibi constet. At vero, si antiquos revoces Accentus, convenientes veræ & antiquæ syllabarum quantitati, tantam numerorum senties suavitatem, ut vel sola carminum lectio cuicunque hodierno cantui invidiam possit facere. Hæcque ex Isaaco Vossio.

* *

Post-Scriptum alterum.

SEd & in ipsius jam *Gerhardi Johannis* VOSSII *Aristarcho*, (sive Libris *de Arte Grammaticâ*) haut pauca invenio, quemadmodum Doctrinam de Accentibus egregie illustrantia, sic peculiariter nostram roborantia Sententiam: quorum aliqua inde similiter subnectam.

Libro 2. videlicet, *cap. 6. pag. 178.* Fundamenti loco primùm hoc præstruit: Accentuum Vocem variè accipi: *Hebræis* Grammaticis enim adeò laxè sumi,

mi, *ut eo nomine contineantur tum Tenoris Nota, tum Distinctionis, tum* εὐφωνίας. Multò strictiùs verò eadem voce *Græcos & Latinos* uti. Et pro triplici Syllabæ Dimensione, tres esse Accentus, *Tonum*, Spiritum, & Tempus. Ex quibus *Tonus* Syllabæ competat secundum Longitudinem: sitque Acutus, Gravis, aut Circumflexus.

Hinc *Cap. 7. pag. 180. seq.* peculiariter de *Tonis* agit, ex Martiano Capellâ illos *Animas Vocum & Musices seminarium* nominans, & specialiter *Accentus* appellari addens, quasi Accantus, ab Accinendo. Esseque *Tonum* id Syllabæ Accidens, cujus ratione ea vel intendatur eleveturque, vel remittatur ac deprimatur. E. g. in voce *Hominibus*, licet omnes sint breves, tertia tamen â fine altiùs assurgit, reliquæ, quasi langueſcentes, concidunt. Atque hinc liquere docet, cur Grammatici ἀπὸ τοῦ τείνειν (â tendendo) Tonum dixerint. *Nempe Translatione â Fidibus sumtâ, quarum Intentio acutiorem, Remissio graviorem efficit sonum.* Unde Latini similiter *Tenores* appellaverint.

Mox Septem alia ejusdem Rei nomina superaddit, quæ sunt: *Nota Vocum, Moderamentum, Accentiuncula, Voculatio* (ex Nigidio apud A. Gellium, lib. 13. cap. 24.) *Fastigium* (ex Martino Capellâ & Diomede) *Cacumen, Sonus.*

De triplici verò ratione *Figuræ*, quâ Accentus scribantur, sequentem in modum disserit: *Tonus Acutus dictus ab effectu, eò quod Aures feriat. Signum ejus,* (') *Lineola, â Manu sinistra ad dextram adscendens. Nam cum ipsam Syllabam attollat, adscendere quoque Vir-*

gulam oportuit. Gravis vocatus, quod Vocem in Guttur ac Pectus demittat. Itaque & Nota ejus est (`) Linea, â sinistra ad dextram descendens. Circumflexus nomen sortitus est â figurâ, quæ est Virgula arcuata. Cum enim in Vocibus, quarum una Syllaba acuebatur, altera deprimebatur, post contractionem factam utraque Syllaba, & uterque coalescat Tonus; utriusque etiam Toni signum coalescere justum fuit. Hinc est, quod Grammatici scribunt, omnes Accentuum Figuras ex Λάμβδα majusculo procreari. Nam Λ. in duas sectum partes, gignit Notam Acuti & Gravis: integrum autem, Circumflexi Signum est. Antiquam verò hanc esse notam docet, quod Marius Victorinus appellat V Transversum. —— Habuit tamen & alteram apud Veteres Figuram. Nam etiam pro angulari illo signo, uno ductu scribebant Lineam incurvam, (∪) quæ faciem Lunæ bicornis imitaretur. Hanc verò (ˆ) Circumflexi notam, sub finem dicti Capitis, posterioribus demum temporibus inventam esse â Librariis contendit; qui in scribendo nunc celeritati studere soleant, nunc venustati.

Hinc directè dicturus, (*Capite 8.*) quàm recens sit Consuetudo, apponendi Accentus, ad Latinos quod attinet, apertum primò esse, ex Lapidibus antiquis docet, quò vetustiores hi sint, eò magis Accentiunculis carere: indeque de *Græcis* notanter addit, neque hos solitos fuisse, Signare Accentiunculas, id ex Lapidibus argui, & priscis NOMISMATIBUS. *Neque enim vel Tenorum*, (h. e. Accentuum) *vel Spirituum in iis Notas comparere. Imo etiam postquam jam inoleverat Consuetudo, eas adscribendi; multos tamen morem Veterum pra-*

pratuliſe. Quod imprimis antiqui Codices doceant, quorum alii Accentiunculas habeant; alii paris Vetuſtatis, absque iis inveniantur. Unde notatu digniſima hæc ſubjungit: *Scribit Angelus Politianus, cap. 58. Miſcell. Se in Codd. vetuſtiſſimis, reperiſſe Verſus Sibyllinos, ſine ullis Faſtigiis. Idemque cap. 80. refert, ſe Callimachum vidiſſe, in quo ea nusquam adſcripta eſſent: ipſeque Callimachi Hymnum in Pallada, absque illis edendum curavit. Imò in Pandectis etiam Florentinis, nuspiam Vocibus Græcanicis appoſiti ſunt Accentus; quod ex MSo ipſo obſervatum monitumque, Ant. Auguſtino, libro de Excuſationibus. Porrò qui Tenores adſcribebant, Seculi ſui morem ſequebantur: qui autem negligebant, ſtudioſi erant moris antiqui. Ariſtotelis quidem ſeculo ignota erant conſuetudo ea, apponendi Accentus, quod clarè indicant hæc Ejus Verba, Sophiſt. Elench. cap. 3.* Πρὸς δὲ τὴν πραγματείαν, ἐν μὲν τοῖς ἄνευ γραφῆς διαλεκτικοῖς, ἐ ῥᾴδιον ποιῆσαι λόγον. Ἐν δὲ τοῖς γεγραμμένοις καὶ ποιήμασι, μᾶλλον: *Ex Accentu verò in nonſcriptis Diſſertationibus, haut facile eſt, facere argumentationem* (Sophisticam) *ſed in Scriptis, & Poëmatis potius.*

Eandemque rem, in errorem quoque non ſemel impuliſe doctiſſimum *Hieronymum*, poſtremo Nos admonet, & Exemplis Vocum ἅγνος & ἁγνὸς, καθαρεῖ & καθαίρει, planè diverſos Significatus habentium, Aſſertum hoc probans, argumentum inde deducit ſat validum, *Hieronymi ætate* adhuc ſine Apicibus ſcribi ſolitum fuiſe. Qui pientiſſimus ac eloquentiſſimus Vir, ab *Helvico* (in Theatro Hiſtor.) & *Autore Hiſtoriæ Eccleſ.*

Eccles. Gothanæ, (*lib. 2. cap. 2. sect. 3. §. 30. pag. 348.*) circiter ad A. C. 383. refertur, vel tempora Arcadii: postmodumque A. C. 422. â diligentissimo *Joh. Jacobo Hofmanno*, (*in Lexico Univ.*) mortuus refertur. Quæ illis, qui Præjudicium rectâ Ratione non habent antiquius, sufficere tandem possunt, ad insuper habendam Usûs *Accentuum* modulatorii rationem.

J. D. M.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823230139/phys_0072
DFG

I. D. MAIORIS

APPENDIX
DE
JOTORUM
Subscriptione suspecta,
eorumque præsertim
EX NUMMIS VETERUM,
GRÆCE INSCRIPTIS,
irrefragabili perpetuoque
EXSILIO.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823230139/phys_0073
DFG

Admodùm Reverèndo, & Præclarissimo Viro,

DN. JOHAN: HUDEMANNO,

Ecclesiæ Bosflethanæ, quæ in Districtu Regio Glückstadiensi, DEO colligitur, Pastori primario longè vigilantissimo; Affini atque Amico meo animitùs colendo,

S. P. D.

QUemadmodum Studium non habetur Theologico *sanctius*; sic inter Scientias seculares *Numismatocriticâ* non facilè *sublimius* aliud reperitur, quoniam cum DEI in hoc Orbe Vicariis, Personis Illustribus, in Ære, Argento, Auro viventibus, negocium sibi est; nullum *arduum magis, atque diffusius*, quoniam â sui Cultoribus Complexum minimè superficialem exigit Linguarum, Philologiæ sacro-profanæ, Historiarum, Politicæ, Mathematicæ, tanquam matris, cum numerosâ prole, Physicæque & Medicinæ, cum reliquo omni eo, quod honestè polytechnicum est; sed & *sumtuosius* nullum, post Pyrotechnicâ, aut laboriosè-doctam Empiricam nostri Temporis, ob Autores Nummographicos, qui preciosissimi omnes sunt, necessariò comparandos, & corradenda undique, non sine prece ac precio, ex quovis Metallo, Monetalis Antiquitatis Cimelia: Addoque demum, nec *Innocentius* ullum, quia quò profundiùs quis aut crebrius, ad ineffabiliter-dulces Fontes hos se demittit, hòc solos eosdem sitit ardentius, nec facile satiatus peculiari Sapientiâ Veterum, quæ mem bratim tibi magis magisque ostentat se, usque adeò ulteriùs existimat, Conversationem arcanam cum Imperatoribus ac Imperatricibus, Regibus ac Reginis, Principibus, Belli Ducibus, Consulibus, Provinciarum Præsidibus, in Materiâ fulgente perennitatem nactis, ad Se quammaximè pertinere, ut blandè intoxicatus delicatulo isthoc Philtrorum genere, vel tanquam in Magnete fortissimo defixus, non sentiat, pedetentim se abstrahi â Vitæ ambitu reliquo, quidvè foris agatur, velut sacro quodam

Stupore aut Extasi percitus, nulla penitus ratione, extraneis Vanitatum illecebris auscultet.

Quale quid dum de *Te* quoque, *Affinis honoratissime*, ab aliquot Annis observaverim, quantillum quidem Temporis, per concatenatos indies, ob diuturnam anteà Collegæ infirmitatem, ac deinde absentiam, Labores sacros, perutili Studio huic potuisti tribuere, non possum non publicè celebrare, excitatum nihilominus, & inconcussum â tot Ærumnis, Ingenii Tui (in aliis etiam elegantioris Polymathiæ partibus probè versati) impetum. Idque eò magis, quò certius est, non posse multa *Scripturæ Loca* rectè satis vel intelligi clam, vel aliis explicari, nisi notitia Rei Nummariæ, & eo spectantis Stathmicæ, & Metallariæ, qualiscunque accedat, quæ Menti, cæterà in Tenebris palpaturæ, accendat Facem.

Ex cujusmodi *Locis Biblicis*, præter illa, quæ sparsim de Emptione quondam & Venditione apud Orientales dicuntur, & Erotemata, quæ inde haud inutiliter elici possint, exstantiora hæc sunt: Quid e. g. sibi velit χρυσᾶς, vel contractè χρυσᾶς, Midianitarum, qualibus *Joseph* innocens Ipsis venditus est, adhibente Vocem *Collegio* LXX. *Interpretum*, in Loco *Genes. 37. v. 28. & cap. 45. v. 22.* eandemque Aureos suos natales liquidò sat prodentem; ut excutiendum restet, quàm malè vel bene *Hieronymus*, *Osiander*, *Pagninus*, *Lutherus*, ac alii, in *Argenteos* converterint? Quævè Ἀργύρια illa fuerint, pro quorum triginta uti DOMINUM suum turpiter vendidit *Judas*, *Matth. 26. v. 15.* sic Laqueum, Inferni pararium, proprio Jugulo redemit? Atque utrum ca-

χρυσᾶς, Midianitarum Pecunia.

Argyrium Hierosolymitanum.

eadem tam quoad Typum vel Modulum fuerint, quàm quoad ſemunciale pondus cæteroquin conveniebant cum celebratiſſimo illo, & controverſo inter Autores, in hunc usque diem, *Sanctuarii Siclo*, ab unâ parte Turibulum Aaronis, ab alterâ germinantem Ejusdem Virgam gerente? Quales equidem aliqui mihi ſunt, (in hoc putatitio Nummorum genere) præſtantiores 24. & 25. magnitudinis, & Chriſtianis paſſim â Judæis erronibus vendi ſolent: qui verò certiſſimè illos venditurinon ſint, ſi veri eſſent.

Siclus Sanctuarii.

Tum de *Statere*, cujus apud *Matth. 17. verſ. ult.* mentio fit, quique πεντεδραχμον quoque ſtatuitur, quid judicandum? Quæve *Denarii*, apud *Eundem cap. 20.* aliquoties dicti, & *cap. 22. v. 19.* præſertim, CHRISTO â Phariſæis ipſum tentantibus, oblati ratio fuerit! Quomodo Ἀσσάριον, pari paſſerum redimendo ſufficiens, (*cap. 10. v. 29.*) verti conveniat? Quo certè *Aſſiculum* notari, in propatulo affatim eſt. Utrum verò, quoad valorem, iis paria aut minora, exiſtimanda ulteriùs ſint duo illa Λεπτὰ, pauperculæ Viduæ, quorum mentio fit apud *Marcum cap. 12. v. 42.* collatione factâ ad Rem Nummariam noſtri Temporis; id diſpici quoque poſſit. Aut é contrario, quid Μνᾶ vel *Mina*, (*Luc. 19. v. 13.*) Athenienſium, Alexandrina, vel Judæorum, (eademque imprimis Aurea) fuerit? De quo, poſt *Budæum*, comtiſſimæ Literaturæ Vir, *Joh. Petr. Titius*, (*Comment. Nummar. qui Introductioni ad excerpendum annexus eſt, pag. 465.*) Nos rectiſſimè ſit docturus. Ut taceam, ſi hic ad Veteris Inſtrumenti Libros attentè velimus regredi, quæ diſquirenda denique forent

Stater Novi T.
Denarius Domini Vineæ.
Denarius Chriſto oblatus.
Aſſarium pro Paſſeribus.
Λεπτὰ *pauperis Viduæ*
Μνᾶ *vel Mina.*

Kesita Patriarchæ Jacobi.

circa solam Vocem planè ambiguam קשיטה *Kesita*, *Gen. 33. v. 19.* dum scribitur, quod Patriarcha *Jacob*, partem Agri Filiorum Hemor, ad Tabernaculum ibi figendum, factâ *centum Agnorum* (*Kesita*, vel ἀμνῶν, *juxta LXX.*) solutione emerit; pro more forsan Orientalium, qui Ovibus, Hœdis, & Pecoribus aliis commercia instituerint, suffragante (quod opinari quis possit) Loco *Proverb. 27. v. 26: Agni ad Vestimentum tuum, & Hœdi, Agri pretium.* Cum potiùs callentissimus Orientis Mysta, *Samuel Bochartus*, in inæstimabili suo *Hierozoico* (*Part. I. cap. 43. pag. 433.*)quatuor præsertim, haut levis momenti, Rationibus adductus putet, utique τὴν *Kesita* peculiare quoddam fuisse genus Pecuniæ: & Versionem Grecam *Interpretum*, corruptam saltem â Librariis vel Transscriptoribus fuisse, nescientibus, quid sibi vellet vocula Μνῶν, i. e. *Minarum*, â Vocabulo Μνᾶ, i. e. *Mina*, ut jam paulò antè innuimus. Unde illi Vocalem A. præponentes, pro Μνῶν, Ἀμνῶν, h. e. *Ovium*, substituerint; & ita sequentes Paraphrastæ quasi omnes, in eundem errorem fuerint deducti.

Cujusmodi *Minam* sanè (Argenti saltem) si ex consensu Autorum, duodecim circiter Unciis Argenti, vel Thaleris Imperialibus æquiparemus; precium Agri, â Jacobo redempti, emerget MCC. Imperialium, tanti Principis & Patriarchæ Personâ, Scopo illustri, & Rebus tum agendis, verè dignum. Ac proinde heú Agellum exilem, & semihorulæ spacio â Talpâ facilè circumfodiendum, qui non pluris, quàm (Scabiosis penè dixerim) *Centum Grossis* venierit, quos bonus noster

ſter *Lutherus*, cum *Editoribus Bibliorum Delphenſibus* (An. 1582.) aſſignat! Quibus liberaliora verò utcunque deprehendimus *Biblia Danica*, quæ habent: Hundrede Sølpenninge / h. e. *centum Argenteos*. Quantumvis & hi poſſint eſſe fere exigui, ſuffragante *Verſione Gallicâ Genevenſium* (*A. 1605. edit.*) quæ habet: *cent pieces d' Argent*. Quibus omnibus tandem cautiorem ſe geſſit *Sebaſtianus Caſtalio*, (cæteroquin ob affectatam nimiùm Bibliorum ſuorum Translationem, non æquè probatus â Viris maximi nominis;) quod tutius cenſuit, ipſam Hebraicam Vocem, *Keſita*, in contextu Latino, retinere, vel eidem analogum quid ponere, quàm dubio Interpretationis æquori, in quo jam alios vidit naufragos, ſe committere, Locum Geneſeos ſic vertens: *Agrique fundum, in quo tetenderat, ab Hemoris Sichemi Patris Filiis*, CENTUM QUESSITIS *emit*. Ipſeque hanc Gloſſam addit: *Queſitam fuiſſe Nummum puto, non vilem: id quod tum ex hoc Loco conjicio, tum ex Jobi Capite ultimo, ubi ſcriptum eſt, Jobo Amicos ſingulas dediſſe Queſitas.*

Quibus hucusque adductis, *Per-Reverende & Cultiſſime Mi* HUDEMANNE, fateor, Menſuram Præloquii ſum quadantenus transgreſſus. Sed, quæ Prudentia tua, Amor, & Ingenii vis penetrans eſt, citra controverſiam id Amplisſimæ Materiæ iſtius dulcedini ac Utilitati, Diſciplinarumque Catenæ, & utriusque Noſtrum haut facilè curando Animorum Morbo tribues. Quemadmodum enim de Rufo apud *Martialem* (*lib. 1. Epigr. 69.*) ſcribitur;

Quic-

Quicquid agit Rufus, nihil est, nisi Nævia Ruffo:
Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.
Cœnat, propinat, poscit, negat, innuit, una est
Nævia. Si non sit Nævia, mutus erit:

ita factum est, atque adeò altè contagiosum istud Cermatophilias miasma, Medullis nostris afflatum sentio, ut sive interdum conveniamus (quod ob distantiam Locorum rariùs accidit) sive raritatem Affatûs, intercedens compensat Epistola; utrobivis primum, medium, ac postremum Confabulationis Idolum plerumque constituamus *Nummos*, *Nummos*, *Nummos*: qui semper in ore & calamo nobis sunt; & coacervandorum Æmulatione haut segniter laboramus.

Sed in hoc ipso negocio, quando Successus Tuos, meis multùm feliciores considero; nisi constanter prorsus ac sedulò Nos amaremus; dissimulaturus minimè sim, Invidiæ analogum quid veruntamen Me facilè contracturum & altercaturum quadantenus, cum Heroibus ac Heroinis, numero haut paucis, Ævi veteris, cum *Priamo*, inquam, *Philippo*, *Alexandro*, *Ptolemæis*, *Herode Magno*, *Agrippa*, cumque *Imperatoribus Romanis ac Imperatricibus*, *Scipione Africano*, ac aliis Belli Ducibus inclytis, cum *Corn. Lentulo* item, *Valerio Flacco*, *Furio Camillo*, & Consulibus aliis, imò integris *Tyriorum*, *Coorum*, *Cypriorum*, *Rhodiorum*, *Siculorum*, Rebuspubl: Insulis, Regnis, ac Nationibus fuisse; quod Hyberna sua ac stationes, & quodcunque amplius erat Theatrum Virtutis ipsorum & Gloriæ, in Tuis aliquantum lubentiùs, quàm meis, defigere Scriniis voluerint, & Diversorium patens, quoties *Tibi* lubet, concedere, aut Refectorium Animi, quotidianis Laboribus defatigati.

Quo

Quo scopo jam tandem præsens *Dissertatiuncula Epistolica* quoque sistit se, & ut certior sis, quàm seriò Pauperiem meam Numismaticam ubertati Tuæ postponam; age, inscribere quid *Nomini Tuo* volens, in Signum constantis Amicitiæ, in promtu non habeo aliud, quàm deforme ac vituperabile aliquod Nihil: imò ipsa Nullitate vel Nihilo quid exilius; ex quo tamen maxima deprehendes. H. e. universam florentem Græciam veterem, ab adjudicato postmodum Sibi præter meritum Subscriptionis Punctorum Reatu ac Jugo, ex Nummis antiquioribus liberatam, hoc successu, ut quemadmodum *Euclides*, ingeniosissimus Mathematicus, *in ipso Elementorum suorum initio*, de imaginario Quantitatis Principio vel Puncto dixit, *Punctum esse, cujus pars nulla est; id est, Punctum esse quiddam indivisibile, quod Mente tantum concipitur*: sic de *Joto* etiam, quod *formâ Puncti subscribi* cœpit Vocalibus A. H. & Ω. â medii ÆviGræculis, dicamus: *Jota subscriptum esse, cujus in Literas Jus sit nullum; id est, Jota subscriptum esse, â Diphthongis quibusdam impropriè dictis constituendis, quid indivisibile, quoniam â Grammaticis, invito Græcismo veteri, Mente sic concipiebatur.*

Hæc, inquam, est Thesis mea, quam *ex Nummis & Inscriptionibus* priscis gnesiis probare non diffido, dulcedine *Scripti* illectus *cujuspiam*: ex quo occasionem arripui, *Accentuum Græcanicorum* Usum & Jura imaginaria, cum *Clar-Viro, Henr. Christiano Henninio*, vocare in dubium: imò planè in Metallum, si fieri possit, ac Insulas relegare, ex eo, quod Tyrannis ipsorum hucusq; exstiterit nimia, nullaque eorum probatio ex pristinis

Inscriptionibus Publicis, in Auro, Argento, Ære, Arenario Saxo factis, vel Marmore, probati Veteris Ævi, afferri possit.

Quo Scripto equidem, ut jam antè testatus sum, in præcedente ad *insignem* Dn. DIECMANNUM Epistolâ, inter plusçula Seculi hujus Scripta, non vidi vel elegantius, vel congruâ Rerum Varietate adspersum magis. Id veruntamen sum miratus, *Autorem*, totum quantum, ut patet, altâ Meditatione in hoc defixum, ut supercilioſos istos antiquæ Modulationis Græcæ Eversores, *Accentus*, à culmine Existimationis suæ, utpote solâ vi ac præter rationem partæ, decuteret; de refrænandâ pariter *Jotorum*, Vocalibus quibusdam *subscriptorum*, arrogantiâ etiam vel non cogitasse, vel brevitatis studio forsan (nunc quidem) non admodum laborasse.

Quicquid verò sit: *Ille* à Fastigiis Literarum, *Apices* inutiles superimpositos sustulit; Substructiones in profundo sitas, emuscandas Mihi aut aliis reliquit: Malleo ac Tudite Argumentorũ Idem, omni exceptione majorum, rigidè prominentia *Accentuum* Tigna & Asseres confregit; Salebras *Punctorum quorundam*, Parietum imo impactas, Ligone Nummosceptico complanandas ac expurgandas, si præsertim auxiliatrices Manus, HUDEMANNE, ex Scriniis Tuis admoveris, fataliter quasi, & haud animadvertens, ad Me devolvit.

I.

Primum itaque hoc noto, post inspectos hoc Scopo Nummulos qualescunque meos, &, quod caput est, post evolutas à Me, non sine labore, omnes quasi omnium Autorum, quotquot Mihi sunt, Nummographicorum Paginas, & ibidem exstantes aut descriptas, *Numma-*

matum Græcorum Imagines, fideliter collatas, hoc inde ſummatim didiciſſe; antiquiſſimos Græcos, exemplum Phœnicum, (ΤΥΡΟΥ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ) de quo in antedictâ præcedente *Epiſtolâ* (*Memb.* 1. *&* 2.) aliquid dictum eſt, ſequutos, in exprimendis Locorum & Perſonarum Illuſtrium Nominibus, omnium rariſſimè Nummos ſuos, ac pene auſim dicere, planè nunquam (exceptis forſan aliquibus, ſed perquam-paucis) *Caſu Dativo* inſcribere, hosvè eligere in Jotorum, vulgò ſubſcriptorũ, Sedem maximè regiam: ſed *vel Nominativo* uti, idque itidem rarius, ut in his videmus: ΠΡΙΑΜΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ, ΟΜΗΡΟΣ, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΓΡΙΠΠΑ, ΜΕΝΙΣΚΟΣ, &c: vel lubentiſſimè omnium ac celebratiſſimè *Genitivo*, exempli gr. ΑΘΗΝΑΙΩΝ, ΔΥΡΡΑΧΙΩΝ, ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ, ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ, ΚΑΡΥΣΤΙΩΝ, ΚΥΠΡΙΩΝ, ΚΩΙΩΝ, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ &c. Quo poſteriore *Lyſimachi R.* titulo vel Epigraphe inſignitus Nummus Aureus quidam mihi eſt, à *Goltzio*, *in Nummis Græciæ*, *Tab.* 36. *num.* 7. deſcriptus, didrachmos, 29. magnitudinis; in uno latere ſuo exhibens Caput imberbe, crinitum, faſciatum, cum Arietino cornu, ad aurem reflexo; unde in defectu Perigraphes, aliquos eſſe, qui pro Capite Alexandri habeant, *doctiſſimus Nonnius* ibi (*in Comment. pag.* 194.) monet: in altero autem Latere conſpicuam præbens Palladem galeatam, ſedentem, & Manu Sigillum tenentem alatæ Victoriæ, cum hâc Adſcriptione: ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ ΒΑΣΙΛΕΟΣ. Et quemadmodum Numisma hoc ante Annum, cum pluribus aliis, adminiculante cordati cujusdam in Germaniâ ſuperiore, Amici operâ, à quôdam, ex Caſtris Cæſarianis, & Alſatiæ Auſtriæque diſtri-

Nummi Græcorum

Nummus Regis Lyſimachi.

districtibus reduce, redemi; sic persuasiunculam Animo meo irrepere sum passus, posse unum esse ex illis ipsis XL. Nummorum Millibus, Græco *Lysimachi* nomine inscriptis, & binas Drachmas vel Ducatos optimi ponderis pendentibus, quos circa A. C. 1543 in Transsylvaniâ (olim Daciâ) Piscatores quidam, ex Cryptâ antiquâ sub aquis, per ruinam Arboris, cui Scapham fortè alligaverant, apertâ, unà cum magno Bractearum Auri numero extraxerant, antiquitus â Trajano, horum ignaro, relictos in Amne Sargetiâ, (hodie Stryg vel Istrig) in quo Decebalus, ultimus Daciæ Rex, ipsos cum omni reliquâ Gazâ condiderat, Captivorum ope Flumen aliquousque abducens, & ad Ripam ejus alterutram, Cryptas fornicatas exstruens, Cespitibus, Pice, & Saxis adeo firmatas, ut Aqua penetrare non posset ab ullo ejus latere. Indeque Amnem pristino cursui restituens, ut super Crypta vel Cryptis translaberetur, Operariis occisis, ne quis rem tantã proderet. Quarum una nihilominus detecta tamẽ, Imperatori inventionẽ magni Thesauri peperit. Sed fuisse eundem in Cryptis unâ pluribus absconditum, post multa demum Secula, inexspectata ista Piscatorum sors ostendit. Et nedum hi quoque residuum omne abstulerunt: sed postquam ejus rei fama ad Gubernatorem Daciæ translata esset, ipse etiam aliquot Millia Nummorum ex Aquis protraxit, & duo eorundem millia Imperatori Ferdinando misit, ut jam ante triennium, & quod excurrit, fusius hæc in quodam, *de Nummis Rhedigerianis*, *Scripto* (*pag. 37. seq.*) adduxi. Et non nisi obiter hic, ad recoquendam Historiam hanc, strictim sum delapsus.

Quâ

Quâ proinde transmisſâ, actutùm in Viam redeo, & dico; *Si Dativi Græci* in α, η, vel ῳ finientes, *ſi ſecunda Paſſivi*, τύπῃ, pro τύπεσαι, aut huic ſimiles; *ſi Contracta* tam Nomina, quàm Verba, qualia ſunt ἐπῳδὸς, παρῳδὴ, βοῶμεν, βοήσῃ, βοᾶν, aut Vocabula quævis alia, *Subreptitium Jota* ullo modo, juxta cenſum vulgarem, admittentia, aut planè non inveniuntur in Nummis antiquis Græcis, paremque cum his autoritatem habentibus Tabulis, Saxis, Columnis, Marmoribus, aut Codicibus, florenti Hellenismo veteri coævis; aut reperiunda quidem in iis, ſed *ſuppoſito Puncto*, quod Literam *Jota* denotet, carentia inveniantur; quâ Documentorum aliorum fide Grammatici illud, quod ob tam validam Rationem hic impugnamus, probatum dabunt?

Si verò probare non poſſunt, (iterum dico) cur merè fictitiam hanc rem, in ſolo quorundam Græculorum medii ævi, nimium curioſulo Cerebro enatam, tanquam Hellenismo veteri conformem, intruſerunt in Scholas, non animadvertendo, per idipſum ſibi ipſos contradicere? Aut enim α, η & ῳ, Diphthongi vel Bivocales verè ſunt, aut non ſunt. Si verè ſunt; cur *Impropriæ* nominant? Si autem non ſunt, uti profecto non ſunt, nam unicâ tantũ Vocali efferendâ conſtant, alteriusSigno puncti-formi tantũ in imo incruſtatæ; cur ipſiſſimas hoc pacto Monophthongos veruntamen Diphthongi titulo exornant? Quod nihil aliud mihi eſſe videtur, quàm Unum & Duo, Simplex & Compoſitum, indiſtinctim pro unâ eadem Re habere, & impingere manifeſtò in univerſaliſſimum, Principiorum omnium cognoſcendi Principium, in rectæ Rationis Lumine fundatum, in quo Baſis

solidissima omnis Contradictionis recubat: *Impossibile est, aliquid simul Esse, & Non esse*: hoc est (pro præsente equidem scopo) Unum simul, & non-unum, simplex & non-simplex esse.

Et reliquis etiam Diphthongis tribus, ΥΙ. ΗΥ. & ΩΥ. injuriam faciunt, *Impropriis* annumerando, cum Propriissimæ sint, & essentiali Diphthongorum Attributo satisfaciant, ut bivocaliter pronuncientur.

Nummus Thrasybuli Atheniensis.

Sed ne Subtilitatibus his Me nimis irretiam; Est Mihi *Nummus* ectypus plumbeus, 28. magnitudinis, perelegans, quem ex Archetypo Græco veteri transfusum, non equidem multùm dubito, tum quod tota Imaginum dispositio, vetustæ Artis quid referat; tum quod eundem cum Similibus Ectypis aliis acceperim, quorum Originalia, ut vocant, vel Archetypos, ex Argento, alteribi successivè contuitus sum: & hinc præsumo, Archetypum hujus etiam exstitisse alicubi, ut memoria Antiquitatis ab isto, in hunc plumbeum meum, eadem fide sit traducta. Quam Præsumtionem veruntamen sum nemini obtrusurus, Imagine Nummi utrobique, sequentem in modum se habente: In uno Latere scil: Caput imberbe, Fasciâ Crines coërcente, leniter eminet, cum hac ante Faciem Inscriptione: ΘΡΑΣΥΒΟΥΛΟΥ. In altero Capra conspicitur, supra quam Ciconia volitat, Caduceum Rostro tenens. Et inter utrumq; Animal septem Literæ hæ, Taxi hac adscriptæ:

ΤΗΑΡΕΤΗ (pro Τῇ Ἀρετῇ.)

Unde quatuor in brevissimâ hâc Inscriptione reperio, notatu digna. *Primum est*, quod desiderantur Accentus. *Alterum est*, quod Articulus Τῇ, & Vox Ἀρετῇ, sine Spacio

cio relicto intermedio, arctisſimè ſunt connexæ. Id quod ad Antiquitatem genuinam Nummi originalis, ex quo hic plumbeus meus, adminiculante Fuſione, deductus eſt, præſumendam ſatis eſt. Ac peculiariter & fusè de Copulativo iſthoc Voces Græcas ſcribendi modo, *in Membro II. præcedentis Epiſtolæ* tractavi. *Tertium eſt*, quod initiali Faſtigio Vocis APETH, Spiritus nullus appictus eſt, de quo negotio inferius in hàc Appendice (Membro 4.) aliquid dicetur. *Quartumq;* in rem præſentem maximè faciens *eſt*, quod Terminali utriusque Vocabuli Literæ, inferiùs nullum Jota eſt appictum.

Quâ taxi ultimâ ſanè ſe pariter habent omnes Inſcriptiones Græcæ veteres fide dignæ, eadem, qua Nummi, Autoritate præditæ, quas unquam apud ullum Autorem evolvere Mihi licuit. Maximè verò apud *Sponium*. De cujus in Græciam Itineribus, ſolo colligendarum *Inſcriptionum* ſtudio ſuſceptis, in modò-dicto *Membro II.* prægreſſæ Epiſtolæ eſt actum. Iisque hic duas alias placet ſtrictim ſuperaddere; in quarum neutrâ vel umbram Punctuli ſubſcriptum videas. Unam ex *Columnâ Piſanâ*, cujus initialia apud *Petr. Apianum* (*d. Inſcription: Italiæ pag.* 181.) ſic ſe habent: ΑCΚΛΗΠΙΟΔΟΤΗ CΤΡΑΤΟΝΙΚΩ ΓΑΥΚΥΤΑΤΩ. &c: alteramque *Demetrii*, *Romæ* exſtentem in *Marmore*, & Diis Inferis dicatam, ut habetur apud *Boiſſardum Tom. III. Inſcript. Tab.* 94.

ΘΕΟΙC ΚΑΤΑΧΘΟ
ΝΙΟΙC
ΔΗΜΗΤΡΙΟC
ΖΩΔΑΡΙΩ ΜΗΤΡΙ
ΕΥCΕΒΕCΤΑΤΗ ΚΑΙ ΘΥΓΑΤΗΡΩ, Ma-

Nummi Romani Græcè inscripti.

Maximè verò Romani, quemadmodum in Inscriptionibus Numismatum suorum quà Latinis, quà Græcis, lubentissimè omnium, modo Nominativum, modò Dativum Casum adhibere soliti sunt: sic hos ipsos Nummos *à Jotistis* nostri Temporis admodùm cuperem, ultrò citròque conspici, & volvi, & revolvi, an videl: in iis documentum ullum Antiquitatis, pro suâ sententiâ, sint reperturi? aut quid ad sequentes saltem Monetas, quæ in *Tiberii* honorem cusæ sunt, sint dicturi?

Nummi Tiberii.

Nimirum, ΚΑΙΣΑΡΙΣΕΒΑΣΤΩ(non Σεβάστῳ)ΚΗΕΤΕΣ &c. habetur, apud *Johannem Vaillant*; (*Tom. 2. de Num Imperat. pag. 25:*) qui exercitatissimus in Re Nummariâ Vir, non minore curâ, quàm *Sponius*, per meliores Græciæ ditiones, se affatim etiam gesit peripateticum. Et ejusdemmet istius Nummi, quem ex eo jam nunc adduxi, Inscriptionem planè eandem, afferri cum duabus similibus aliis, videas apud *Præclariss. Gisbertum Cuperum, in Explicatione Numism. Ant.* quæ Tractatui aureolo de *Apotheosi Homeri* annectitur, *pag. 231.* Et tum similes plures apud eundem *Vaillant* (l. jam d.) ulteriùs vide sis, tum iisdem novissimè adde duos quosdam alios, apud *Andr. Morellium* (*in Specim. Rei Numm. antiq. Tab. 5. pag. 39. & Tab. 7. p. 52.*) descriptos; in quorum priore hæc leguntur: ΘΕΩ ΚΑΡΩ CEB. *Divo vel Deo Caro Augusto:* in altero, *Antonini Pii*, Latus aversum, Telesphorum stantem exhibet, cum hac Inscriptione: ΘΕΩ ΤΕΛΕCΦΟΡΩ ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *Deo Telesphoro Nicaensium.*

Nummus Cari Imper. Nummus Antonini Pii.

Nec dubito, quin longè plura, ad satietatem usq; hic ipse Autor, *Morellius*, huc spectantia collaturus sit, postquam

postquam incomparabile prorsus, sumptuosissimum, & continuo proin, totius Orbis Nummosceptici, desiderio exspectatum Opus ipsum, tanquam Solem, à *Specimine citato*, tanquam præcursore aut Phosphoro, prænunciatum, prodire fecerit, hoc Laborum, perdiùs pernòx hucusque impensorum successu, ut octo minimùm Volumina grandia, ex magnificentissimo ac superbissimo *Regis Galliarum Thesauro*, plusquam Quindecim Millia Nummorum, publicæ Luci, & cunctorum Stuporibus Posterorum, sit largiturus.

Nummarius Thesaurus Ludovici M. Regis Gall.

Quorum omnium (aut hic saltem enumeratotum) Splendore circumfusa *Hypographica Jotistarum Gens*, quorsum tandem se tutò recipere possit, haut æquè in proclivi positum arbitror.

II.

Nisi forsan Asylum in *Jotorum*, ad Latus ultimæ Literæ *Adscriptione*, sint quæsituri, prætendendo *Inscriptiones Græcas* haud exiguo numero, Jotis finalibus incrustatas; quarum æqua cum Nummis autoritas sit. Earumque una (fateor) ex præstantissimis est, quam ex *Cupero* (*Expositi. Marmorum Antiq. cum Apotheosi Homericâ editæ, pag. 284*) afferre valeant, hunc in modum:

ΑΦΡΟΔΙΤΗΙ
ΘΕΑΙ ΠΑΝΑΓΑΘΩΙ
ΚΑΙ ϹΩΤΗΡΙ
ΚΑΙ ΕΥΚΑΕΙΑΙ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΙ
ΟΙ ΜΑΡΩΝΙΤΑΙ
ΑΝΕΘΗΚΑΝ.

Cui aliam subnectam, aliquantum illustriorem, & me-

 ritò

ritò proin Primam omnium earum, quas affert *celeberrimus Vir, Thomas Reineſius, in Syntagmate Inſcriptionum Antiq.* in Ara, Athenis poſitâ, olim conſpicuam, & pro ipſâ eâdemmet habitam, quam *Paulus Apoſtolus* (*Act. 17. v. 23.*) ſibi viſam refert. Contextus àdeò memorabilis Engraphes, ne *Lectorem* longè detineam, hic eſt:

ΘΕΟΙC ACIAC KAI ETPΩΠΗC
KAI LIBTHC
ΘΕΩC ΑΓΝΩΣΤΩC
KAI
ΞΕΝΩC

Eique ſimilem, Neapoli, ſub Helenæ Aug. Statuâ notatam, hanc adducit, (*Claſſ. 3. num. 54. pag. 323:*)

ΘΕΙΟΤΑΤΗC KAI
ΕΤΣΕΒΕΣΤΑΤΗC
ΣΕΒΑΣΤΗ.C

Atque iterum alias, ne quid relinquatur; ad ſpecioſitatem ac decus quomodocunque conciliandum communi Sententiæ idoneum, annectam. In *Sponio* videlicet *Part. I. Inſcription.* (*pag. 106.*) ubi *Smyrnenſis* cujusdam Inſcriptionis mentio fit, initialia ejus ſic ſe habent:

ΑΛΑΘΗΙ (leg. ΑΓΑΘΗΙ) ΤΥΧΗΙ. &c.

Et *part. 2. paginâ. 80. b.* legitur porrò alia, eorundem *Smyrnenſium*, ubi Jota ter adſcriptum reperitur, hâc Taxi:

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΠΙ (leg. ΡΙ)
ΑΔΡΙΑΝΩΙ
ΟΛΥΜΠΙΩΙ ΣΩΤΗΡΙ
ΚΑΙ ΚΤΙΣΤΗΙ h. e.

h. e. *Imperatori Hadriano Olympio, Servatori ac Conditori.* Ita enim Jugo Romanorum se submittentes, iis strenuè adulabantur Græci. Et prout *Hadrianus Soter* vocatus fuerit, clariùs nos docet *Illustris Spanhemius, Dis. 5. d. Usu & Præst. Num. pag. 384.* Quare item *Olympius?* id exponit plurimùm *Spanhemio* æstimatus *Cuperus, in Gemmæ Augustææ Explicatione (quæ Apotheosi Homericæ annectitur) pag. 207.* & *Reinesius Inscript. Class. 3. num. 85. pag. 335.*

Tum *Florentiæ* penes Marggrafium Richardi, observatam sibi Inscriptionem, *Sponius* in antè dictâ *Inscriptionum Parte 2. pag. 115. b.* memorat, cujus initialia hæc sunt Verba: ΙΣΙΔΙ ΕΠΙΚΩΙ &c.

Et quis reliquas omnes enumeret, passim exstantes, cum sit earum cumulus haud exiguus? Nam animi causa in solo *Reinesio* ac *Sponio*, omnes, quantum fugitivo Oculo, ac præter Labores alios potui, utrobique adductas Inscriptiones Græcas sedulò computavi, in quotquot harum, ex Traditione vulgò receptâ, *Adscriptio τῇ Jota*, invenire locum possit aliquem; & observavi, earum, in quibus illud, (vel loco ejus, Signum quodvis aliud appositum), apud *Reinesium* occurrit, quadraginta novem haberi; in quibus verò talium nil deprehenditur, quadraginta & sex tantum. Contra, apud *Clar. Sponium*, Inscriptiones, Jotorum Adscriptu suffarctas, numeravi septendecim, & destitutas iisdem, viginti & unam.

Ut hoc pacto Numerus admissorum major apud *Reinesium*, quàm omissorum; apud *Sponium* contra Numerus admissorum minor, quàm omissorum sit,

& æquâ Lance Inſcriptiones utriusque generis, in his Autoribus, librentur.

Interim ſi vel triplo etiam aut decuplo plures exſtarent, incruſtatæ Jotorum Adſcriptionibus Engraphæ, quàm iis deſtitutæ; illorundem tamen Patroni, nedum quicquam præſidii, ut ex contextu ſequentium patebit, pro roborandâ ſuâ ſententiâ, ſint obtenturi. Aut, ſi hoc etiam ſucceſſu ſecundentur, & obtineant quod volunt, liquidisſimum putantes, Jotorum Adſcriptionem, ad Latus Literæ A. H. vel Ω. loco Subſcriptionis eorundem, fuiſſe quocunque ævo, tam florentis olim, quàm poſteâ defloreſcentis Græcismi, uſitatam: inconcuſſa nihilominus ſtat *Theſis mea*, quam in principale Objectum præſentis Epiſtolæ elegi, ſtatuendo, *Nullum exemplum ullius Jota ſubſcripti, ex ullo fide digno monumento Antiquitatis facilè; omniumque minimè ex Nummis antiquis Græcis, aut aliarum Gentium, Helleniſmo utcunque adhuc vigente percuſſis, adductum iri.*

Ex Laterali verò Jotorum, ad quasdam Vocales Adſcriptione, in Cippis & Tabulis majusculè inſcriptis, poſterioribus Seculis ad Nos propagatâ, concludere ſi quis velit; Ergo præſumendum eſſe, Adſcriptionem iſtam, etiam exſtitiſſe primitivæ ullius Subſcriptionis vicariam, imò eidem coævam; næ ille Pallium, ex imbre multiplicis & grandis Inſtantiæ, reportaturus ſit affatim madidum, ſi uno ſaltem ac altero paſſu ſtrictim decurrere haut gravetur per Campos Diphthongorum tam propriè, quàm impropriè dictarum, etiam reliquos, αυ, ει, ευ, οι, υι, ηυ, ου, & ωυ. Dum enim pariter infinita quaſi habentur Bivocalium iſtiusmodi,

modi, Vocem aliquam terminantium, vel in principio aut medio ejus coalescentium, in Inscriptionibus priscis ac Nummis Specimina; quâ quæso (etiam nostri saltem corrupti) Græcismi tolerantiâ inferretur, Ergò veteres Græcos vel τὸ υ. Literis α. ε. η. ο. ω. vel τὸ ι. Literis ε. ο. υ. sub Schemate Puncti quoque subjecisse?

Ut taceam, quod sæpius dictum Jota, dictâ ratione cum Vocalibus aliis concurrens, & Diphthongum cum ipsis constituens, non amplius sit, juxta rigorem communem Grammaticum, Diphthongis Impropriis, sed Propriis maximè, annumerandum; quoniam in casibus his, concurrentium A. & I. vel H. & I. vel Ω. & I. quemadmodũ Bivocales expresse habentur, sic Phthongum vel Sonum etiam duplicem, Moræque protractionem notabilem, vel Temporum geminationem, ad sui prolationem congruam, in pronunciando propriè deposcunt, eâ circiter ratione instituendam, atq; e.g. trisyllabum ΖΩΙΑΟΣ aliàs in Latino pronunciamus. Quod Vocabulum si quam maximè etiã bisyllabicè esset proferendum, quasi Ω & I. in eo in Diphthongum coaluerint: ipse Auditus tamen directè & propriè satis judicat, non ΖΩ, quasi simplex exstaret Ω, & Jota inter loquendum absorberetur, sed ΖΩΙ, cum geminatione quadam Temporum, pronunciari.

Quibus omnibus ita suppositis, tutissimè possem acquiescere. Sed imitabor Belli Ducem, rebus suis probè confisum, qui non contentus Castris suis, & apparatu quovis, ad defendendum se, ubi opus fuerit, necessario, contra hostiles qualescunque irruptus & externam vim; ipse etiam ad Hostium Statio-

nes aliquando excurrit, & vel penitus ipsas potentè Brachio diruit, vel strepitus minimò & terrorem, in iis ciet.

Hoc est: *Lateralis illa*, & introducta per rudioris Ævi licentiam, *Punctorum* diphthongificorum *Adscriptio*, usque adeò Sententiæ nostræ, de abnegatâ eorundem *Subscriptione*, nil derogat, ut ipsa, unde seorsim se sustentare possit, Rationes quasvis excogitare, maximè opus habeat; & consilium inire, quomodocunq; à Suspicione Falsi se penitus liberet.

Nam *Primò*, quemadmodum nullus Autor classicus, vel antiquissimo ævo, adeò eleganter, distinctè, & purè Membranæ inscriptus, vel novissimè postmodum, adeò constanter ac integrè Typis impressus habetur, quin maximè discrepans olim Transcriptorum ingenium, aptitudo, ac diligentia, vel Editionum, Typis plumbeis in Chartâ factarum, inque Locis diversis, ad diversam Formam ac Idioma redactarum, Varietas, cum Correctorum, Typographis subordinatorum, maximâ ruditate interdum atque ignaviâ, Tineisque ac Blattis, fracedine, situ, putrilagine, erosione, ambustione, aut corruptelâ quavis aliâ, toti Contextuum systemati vim inferentibus, ineffabile quoddam, & nunquam facilè per omnia digerendum Chaos *Variarum Lectionum*, quas vocant, produxerint, tanquam Pistrinum vastissimæ structuræ, & Ergastulum Lithotomicum, quo vel centum Criticis atque Philologis, totâ die Sudor affatim excutiatur: Sic de *Inscriptionibus*, ex veteri Saxo aliquo, vel Tabulâ deductis, prout hodie Typis impressæ leguntur, ecquis tutò sibi per-

persuadeat, eadem facie quoque & taxi, vel olim se habuisse; vel incorruptim etiamnum, post tanta Temporum spacia, & Mutationes, vi, casu, aut per incendium subortas, in celebrioribus Europæ, imprimis verò Græciæ, & Asiæ ulterioris partibus, aut alteribi, exstare?

Quapropter si quis laborem vellet impendere, & Inscriptiones illas, quarum exempla interdum in diversis exstant Autoribus, sedulo conferre; citra dubium experturus sit, oppidô multas earum sub jugo ἀμφιγραφίας consistere, & perceptionem minùs constantem, in Lectorum animis parare. In cujus rei fidem unicum saliem exemplum producam, unius ejusdemq; Inscriptionis, apud Autorum (in hoc genere) principes, *Reinesium* (*Class.* 3. *num.* 17. *pag.* 305.) & *Sponium* (*Part. I. pag.* 100. *b.*) sed diversimodè exstantis:

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ (*Sponius.*)
ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗ (*Reinesius.*)
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ (*Uterque.*)
ΤΡΑΙΑΝΟΥ (*Sponius.*)
ΘΕΟΥ ΤΡΑΙΑΝΟΥ (*Reinesius.*)
ΠΑΡΘΙΚΟΥ ΥΙΟΝ ΘΕΟΥ (*Uterque.*) &c. Unde Dubitatio relinquitur, utri horum sit credendum?

Secundò: Et quo minus perpetuam Jotistæ nostri sibi imaginentur Adscriptionis Legem; age, si placet, mecum considerent manifestam, & haut facilè sibimet ipsis probandam, *Inscriptionum* haut paucarum, *rationе positionis Jotorum*, *Inconstantiam*, dum interdum, in unâ aliquâ eademque Inscriptione, Litera I. ad repræsentandam Diphthongum Vocali cuipiam alteri apposita,

posita, Voces quasdam incrustat; & in aliis contra, idem jus sibi vindicantibus, est omissum. Cujus generis Exempla quatuor videas apud eundem *Reinesium*, *in Class. 5. num. 43. pag. 380. Class. 7. num. 22. pag. 493. Class. 11. num. 41. pag. 623.* & *Class. 17. num. 140. pag. 854.* nec non apud *Sponium* duo: videlicet *part. 1. pag. 105. a. b.* & *pag. 106. a.* Ex quibus sanè patet, (ex talibus quidem Inscriptionibus) nos minimè certos fore, utrum Veteres Jota istiusmodi Diphthongifica adscripserint, vel non? Si enim adscripserint; cur in eadem Engraphe â Transscriptoribus vel Typographis omissa quoque offendimus? si verò non adscripserint, cur postmodum partim omissa quidem, sed & partim adjecta repériuntur?

Tertio: Nec minus *in* ipsâ *Jotorum Figurâ*, Vocalibus diphthongifice appositâ, *Inconstantia Inscriptionum*, notabilis aliqua se manifestat, quam veteri Græcismo genuino haud æquè debebimus attribuere. Esto enim, Adscriptionem Jotorum verè in Antiquitate fundari; quis nobis persuadebit, eandem Gentem, Orthographias suæ cæterà observantissimam, circa solam Literam Iota inconstanter adeò, & Trocho quasi ludentem cum Pueris, in variatione Figuræ inutili, imò Eumetriam totius Lineæ quandoque turbante, elegantiam ullam quæsivisse? Cujusmodi Variatio est hæc, quod Jota, Vocalibus adscriptum, nunc consuetà ab antiquissimis Temporibus Figurâ hàc (I) nunc hac (ɔ) instar inversi in altum Commatis; & nunc etiam hác (.) vel formâ Puncti, expressum invenio, e. g. ΤΩΙ ΛΟΓΩΙ : ΤΩƆ ΛΟΓΩƆ : & ΤΩ. ΛΟΓΩ. pro, τῷ λόγῳ.

Quo-

Quorum Modorum Secundum ac Tertium, quemadmodum apud *Sponium*, Inscriptionum quampluriumipsarummet in Græciâ ac Orientalibus Autopten, nullatenus planè invenio; & verò Secundum istum, qui per Commata (ć ć) appicta fit, apud *Reinesium*, non in primâ solum, quam initio hujus Membri attuli, *Aræ Athenienſis Inscriptione*, sed in novem præterea aliis (pag. 179. 205. 210. 292. 312. 323. 330. 625. & 708. reperiundis) Modumq; Tertium, (per Puncta) undecies notarim, *paginâ 173. videl. pag.* 200. 303. 357. 358. 368. 503. 663. 697. 698. & 699: sic culpam hanc in Transcriptores Inscriptionum potiùs, quàm Sculptores antiquos, aut *Reinesii* licentiam ullam, arbitrariò sumtam, rejiciendam esse, hoc verisimilus evadet, quò certiùs Lector, si evolvere *Autorem* voluerit, inveniet, inter Inscriptiones modo-citatas, in unâ eademque illâ, quam ex paginâ 663. innui, Diphthongificum Jota diversis Vocibus, & formâ Puncti (.) & formâ etiam debitâ (I.) apponi. Quod Inconstantiæ genus etiam, quis quæso, non tutius mecum Imperitiæ socordiæque Transcriptorum, quàm ipsi Hellenismi veteris consuetudini, imputet?

Quartò: Tum & novum prorsus, aut insolitum non est, *Viatores* interdum, ad Loca Inscriptionum in Itinere delatos, eas *Pugillaribus suis inscribere*, & sic aliis deinde tradere: imò obscuriores visas sæpe corrigere, *juxta Temporis sui consuetudinem*, & modum scribendi, ad quem in Juventute â Præceptoribus suis Græculis, fuerunt manu ducti. Cujus rei illustre Exemplum, jam in antecedentis *Epistolæ Membro 2. pag. 17.* de *Spo-*

nio adduxi. Condonandum *Autori* veruntamen, ob causam, quam additam ibidem vide. Et tum demum Inscriptionibus priscis firmissimam fidem sim additurus, si tam Marmorum ipsorum ac Tabularum, Græcè antiquitus inscriptarum, & videl. ipsas videre, & palpare manibus, & unam cum altera domi conferre, haberetur occasio, quàm quidem Numismata Vetera Originalia, ut vocant, curiosas & avidas aliquando subintrant Manus.

Quintò: Interim nec *Sculptores priscos*, ab imperitiæ interdum reatu omnimodè hic absolvimus. Imò disertè potiùs, contra Oscitantiam horum ac ruditatem, in modo dictæ *Epistolæ meæ Membro 7. pag. 37. seq.* sub signo NB. querelam minimè injustam instituimus: sæpeque nobis laudatus *Reinesius* eminentiora quædam illorum Errata, & lapsus prodigiosos, partim in *præfat. ad Lectorem* (*pag. antepenult. ab ejus fine*) recenset, partimque in ipso Systemate dein, ad Marginem aut in Contextu, medicatrices iisdem manus adhibet, & admittendam Correctionem urget. Quæ certè vel ideò etiam *Inscriptioni Aræ Atheniensis*, in antecedentibus allatæ,

ΘΕΟΙC ΑCΙΑC ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗC
ΚΑΙ LIBYHC
ΘΕΩC ΑΓΝΩΣΤΩC
ΚΑΙ
ΞΕΝΩC

debetur, quod in eâ LIBYHC, per L. Latinum, non verò ΛΙΒΥΗC, per Lambda Græcum, expressum sit, & istam, tanquam fœtum ævi recentioris, satis prodat.

Usque

Usq; adeò, inquam, in Inscriptionibus, apud Autores vulgò exstantibus, parum Securitatis præsidiiq; positum est: & nisi Jotistæ, pro defendendâ Jotorum suorum Adscriptione Diphthongificâ, robustiorem alium Atgumenti Nervum norint intendere, tanquam Obelisci in sublime tollendi Trochleas & Funem; tota ipsorum Moles statim retrò laberur & rimas aget.

III.

Quibus missis, posset ob Argumenti affinitatem, *de Apostrophis* etiam addi aliquid, qui tanquam Signa aut Notæ rejectæ Vocalis, ad Latera Literarum hodie pariter haud infrequèns appinguntur; sed nec ipsi extra suspicionem novitiæ Inventionis, vel ideò positi sunt, quod tum Nummi veteres Græci planè & ipsos ignorant, tum in Inscriptionibus Typo impressis, instantem similiter, incertamque, imò nullam, atque de Jotorum adscriptu suspecto diximus, Positionis legem servant: quippe nunc in unâ habentur Inscriptione aliquâ; nunc in altera æquè debitam sibi Sedem deserunt; nunc in unâ eademque Inscriptione Vocibus, Vocali suâ in fine orbatis, adduntur, atque à similibus aliis etiam excluduntur: sed brevitatis ergò placet, Engraphen non nisi unicam hanc, ex insigni *Patino* (*Thesaur. Numism. cap. 6. pag. 214.*) adducere, in Sepulcro Cyri olim repertam, hac formâ:

ΕΝΘΑ Δ' ΕΤΩ ΚΕΙΜΑΙ
ΚΥΡΟC
ΒΑΣΙΛΕΥC ΒΑΣΙΛΕΩΝ:

i. e. *Hic Ego Jaceo Cyrus Rex Regum.* Quam tamen ad florens antiquum Græciæ ævum non spectare, vel

patet, aut dubium meritò videri possit, quod expressè monet *Patinus*, fuisse Epigramma quidem Græcum, sed Literis Persicis expressum. Id quod Mihi videtur simile, atque cum Judæi nostri ardeliones ac circumforanei, nullius sæpe rei minus, quàm propriæ suæ Hebraicæ Linguæ gnari, Epistolas suas Germanicas, Talmudicis scribunt Literis, ut ab iis, qui veterem Linguam Sanctam non callent, pro Hebraicis haberi possint, depictæ apud *Buxtorffium* in Libello, cui Titulus, *Lectionis Hebræo-Germanicæ Usus & Exercitatio*, annexa sub finem *Thesauri Grammat. pag. 644. sequ.* & *Clar. Henr. Opitium*, Collegam æstimatissimum, in principio statim *Chaldaismi Targumico-Rabbinici, pag. 1.*

IV.

Tum indistinctim *Spiritus* (*Asper & Lenis*) de quorum Figuris (C. L. F. vel ʿ & Ɔ. ⅃. ꟻ. vel ʾ) eorumque origine ex adspiratoriâ Literâ H. convenienter disserit *Jul. Cæsar Scaliger* (*de Caus. L. L. lib. 2. cap. 54*) & post hunc doctissimus noster *Henninius* (*Paradox. §. 57. pag. 41.*) in Inscriptionibus, apud Autores passim exstantibus, videmus, nunc planè omitti, ubi hodie illos scriberemus, nunc cum appositítio Jotorum grege, ostentabundè appingi, imò in unâ eademque Inscriptione interdum, in his Vocibus appingi, in aliis omitti: ut certum etiam hic sit, nihil certi exinde usu illorum vel non-usu, haberi posse, nisi in subsidium veniat Argumenti brachium aliquod fortius, eorumq; Picturam novitiam sustentet. Cui verò *Henninius* (*l. d.*) Obices grandes opposuit, ab *Autoritate* & *Ratione* haut ficulneâ petitos. Hisque ubi Ego denique

niq; *Experientiam*, vel Obſervatiunculas unas & alteras, ex Nummis ſelectioribus petitas, ſtrictim adjecero, ne videlicet *Te* HUDEMANNE *ſuaviſſime*, diutius detineam, quam par eſt, finem aut culmen toti huic *Appendici Epiſtolicæ* imponam.

Quemadmodum nempe in *præcedentis Epiſtolæ Membro I.* (*pag. 11.*) & II. (*pag. 16.*) *Numiſma Tyriorum*, Notam Adſpirationis nec Asperæ, in Voce ΙΕΡΑΣ, nec Lenioris, in Voce ΑΣΥΛΟΥ, tanquam Criſtam, in Aëre ludicrè fluctuantem, & nutantem ultrò citròque, non agnoſcebat, ſed utriusque generis defectus manifestò potius, ibidem deprehenditur: ſic ex innumeris Veterum Nummis aliis, *Spiritum Aſperum* primùm amicè *Te* jubeo quærere; ſed minimè inventurum ſcio, in Numismate priſco aureo, 25. magnitudinis, drachmas ipſasmet ſex pendente, ſi rectè memini: nam felicem Poſſeſſorem illius *Te* novi; gerentis in uno Latere Caput laureatum *Æſculapii*, ut *Nonnius* explicat, (*in Notis pag. 272. ad Goltzii Nomiſmata Inſularum Græciæ, Tab. 21. num. 7.*) cum Perigraphe, ΙΓΗΝΑΙΟΣ (vel, ut *Goltzius* expreſſit, ΙΓΗΜΑΝΟΣ) ΚΩΙΩΝ. In alterò autem, Macilenti Imaginem Hominis, cum Togâ ad Terram demiſsâ, ſedentis, dextraque tenentis Herbam quandam tritoliam, vel Spicas tres, vel quidvis tricuspidatum aliud, ſine Perigraphe.

Nummus Tyriorum.

Nummus Æſculapii.

Ita ſimiliter ΟΜΗΡΟΣ, non ΟΜΗΡΟS legitur, in Etypo meo plumbeo, 26. magnitud. prorſus conveniente cum prototypo, cujus Imaginem dat *Patinus* (*Introduct. ad Hiſtor. Numiſm. cap. 9.* (*pag. 59. edit. Latin. vel pag. 72. edit. Gallic.*) inque pleniore *de Nummis Im-*

Nummus Homeri.

peratorum Volumine, *pag. 9.* Exhibentis videlicet, in primario Latere, Caput Homeri, fasciâ strictâ cinctum, cum circumscripto solo hoc nomine, ΟΜΗΡΟΣ: in alterò verò Fluvium, formâ Viri, ad Aquam sedentis, lævaque Arundinem vel Ramum tenente, Amphoram effundentis, & dextrâ super Genupositâ tenentis Citharam, cum Epigraphe, ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ, & cum subscriptione Vocis ΜΕΛΗC, quæ Meletem, Smyrnæ fluvium denotat. Unde Præsumtio haut vana depromitur, Homerum patriâ Smyrnensem vel Jônem fuisse, suffragante *Lucano* lib. 9. v. 884:

Quantum Smyrnæi durabunt Vatis honores.

Smyrna enim erat primaria Jôniæ Urbs, ad cujus mœnia Meles amnis defluebat. Aut minimùm ex hoc Nummo liquet, Smyrnæos Homerum sibi acriter vindicasse, postquam alii essent, qui Colophonium dicerent, alii qui Ægyptium, alii qui Athenienſem, ut est apud *A. Gellium lib. 3. cap. 11.* adducentem vetus hoc Distichon:

Ἑπτά πόλεις διερίζουσιν περὶ ῥίζης Ὁμήρου,
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμὶν, Ἴος, (alii Χίος)
Ἄργος, Ἀθῆναι:

quod Latinè aliquis sic vertit:

Septem Urbes certant de Stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Jös (vel Chius) Argus, Athenæ.

Eratq; in eadem Urbe Bibliotheca, & quadrata Porticus, *Homerium* dicta, Templum & Simulacrum Homeri habens, ut diligentissimus *Thomas de Pinedo, Observat. ad Stephanum de Urbib. pag. 611. b.* præterea nos docet,

Eo-

Eodemque modo non ΗΛΙΟΣ, sed simpliciter sine Spiritu addito, ΗΛΙΟΣ, expressum, *Tibi*, *Amicorum prime*, monstrare possim in *Domitiani* quodam *Nummo* argenteo, 27. magnitud. utpote in cujus prono Latere, Caput Imperatoris; in aversо Simulacrum Serapidis (quem Ægyptii olim celebant) stantis, Capite radiato, manuque Sceptrum tenentis, cum Perigraphe: ΗΛΙΟΣ ΣΑΡΑΠΙΣ, vel *Sol Serapis*. Qui titulus, Naturam vel ubertatem Rerum significans, tanquam, promptuarium omnis Boni, ad Vitam tuendam necessarii, pessimo Imperatori, per Adulationem, ut apparet, datus est, tanquam beneficis Radiis, Virtutumque heroë dignarum splendore, Romam suam, & Imperium undique illustranti, quod bene sit: imò crudeli, atque â Studio primum accurrati regiminis & Gloriæ, ad cædes Senatûs ac Amiçorum, paulò post conversо. *Nummus Domitiani, Græcè Inscriptus.*

Neque *Spiritûs Leniorîs* vestigium ullum in *Nummo* sive *Cononis*, ΑΘΗΝΑΙΟΥ, (non ἀθηναίᾳ) *Themistoclis*, aut *Timothei*, similiter ΑΘΗΝΑΙΩΝ dictorum, vel Athenienſium, (non Ἀθηναίων): nullum in Nummo *Antigoni*, (nam ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ exstat, non Ἀντιγόνε:) nullum in *Alexandri* Macedonis, (ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ quippe & hic habetur, non Ἀλεξάνδρε) vel Imperatorum Rom. aut Heroum etiam Græcorum, Alexandri Nomine & Capite Exuviis Leoninis tecto, superbientium. Nullumque in ullo *Nummorum Antinoi*. Hic enim ut erat Juvenis, insigni Corporis formâ præditus, ac Hadriano proin in deliciis peculiariter habitus; sic non in Ægypto solùm, ubi Nilus ipsum submersit, sed diversis insuper *Nummi Athenienſium, & Græci alii.* *Nummi Alexandri.* *Nummi Antinoi.*

Asiæ

Asiæ ditionibus, jussu Imperatoris consecratus per varios Nummos, unâ parte Caput juvenis, bellè-crispi, cum perigraphe, ANTINOOC HPΩC (non Ἀντίνοος Ἥρως) alterâ Templum magnificè structum, cum Crocodilo, eidem accumbente, vel Aquilam, vel Bovem, vel Equum, vel Arietem, loco Symboli habentes. Qualis (h. e. cum Ariete) perelegans ex Ære, (magnitud. 24.) mihi est, similis ei, quem *Guilielmus de Choul* (*de la Religion des Anciens Romains, pag. 213.*) depingit: atque iterum alius, adhuc elegantior, itidem æneus, ab aliis vix descriptus, 26. magnitud. in aversо videlicet Latere exhibens Divam, in Curru, bigis Leonum vectam, eademque, quâ Frænum tenet, manu, tenentem Lampada, cum adscriptione: AIΔIOTHC (non Αἰδιότης) i. e. Æternitas.

Nummus Cleopatræ & Antiochi.

Ut taceam innumeros pene alios. Sed unum ex iis Silentio non involvam *Nummum*, semuncialem argenteum, 26. magn. Hamburgi novissimè Mihi, cum aliis plusculis, quâ æneis Imperatorum, qua Consularibus argenteis, donatum â *Nobilisſ. ac Consultisſ. Viro, Gerhardo Schott, I. V. L. Amplissimi Senatûs Hamburgensis, in Judicio Superiori Actuario, & â Curis Archivi meritissimo.* Qui Nummus, unà cum aliis quondam, ex Galatiâ, Asiæ minoris Provinciâ missus alicui, ibidemque anteà, apud Ancyram Urbem, in Monumento veteri detecto repertus, & Hamburgum dein allatus, ad Manus *adeò benigni mei Largitoris* transiit, ab unâ parte gerens Caput *Cleopatræ*, & portionem præcipuam faciei *Antiochi*; ab altera Figuram Dei cujusdam, vel Deæ sedentis, cum adscriptione post tergum,

ΒΑΣΙ-

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΘΕΑΣ

& ante Faciem,

ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ

non Ἀντιόχου. Ac intelligitur *Antiochus*, Demetrii Nicanoris, ex Cleopatrâ Filius, ob Naſum aduncum vel aquilinum, *Grypus* dictus, â Matre conſtitutus Rex, ut ex *Juſtino* illuſtris *Spanhemius*, (*de Uſ. & Præſt. Num. Diſſ. 5. pag. 410.*) eundem Nummum quoque depingens, nos admonet. Sed isthanc Matrem ſuam Veneno eodem postmodum exſtinxit Antiochus, quod ſibi â Matre parabatur. Quam tanto priùs habuerat honori, tantáque Pietate, & Obſervantiâ filiali coluerat, ut teste *Spanhemio* jam laudato, ex Græcis *Scaligeri* in Euſebium Excerptis, *Philometoris* titulum non minus peculiariter reportaverit, quàm Ipſe illam in Nummo Θεὰν vel *Deam*, expreſsè vocet; referendus ad A. M. 3826. apud *Helvicum in Theatro Hiſtor.* Ut hoc pacto *Cleopatra* isthæc quoque planè diverſa ſit ab alterâ illâ Cæſaris & Antonii, quæ plusquam 70. Annis recentior, ſublimem Θεᾶς vel *Deæ* Titulum, ſimiliter eſt nacta; quod ex Perigraphe conſtat, quæ Dominam, Diademate & Perlâ, celebrique per Orbem Pulcritudine magis, quàm Castitate inſignem, circumſtat his Verbis, in Nummo quodam alio, apud *Spanhemium*, *in* egregiis ſuis, in *Juliani Cæſares Notis* (Gallicè editis) pag. 208. b. - - - - ICCA ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΘΕΑ ΝΕΟΤΕΡΑ: id est: - - - - ina Cleopatra Dea novella.

Adderemque Antiochæo iſti, hucusque deſcripto Nummo, nec Accentuum ullum, nec *Spiritum* Lenem agnoſcente, ſimilem denique alium, caſtiſsimæ quon-

Nummus Artemisiæ.

dam Mausoli, in Cariâ Regis, Uxoris, *Artemesiæ*, imò Reginæ adeò verecundi animi, ac pudicæ, ut *Gellius lib. 10. cap. 18. Supra omnes Amorum Fabulas, ultraque Affectionis humanæ fidem*, amasse Virum perhibeat, indefuncti Mariti honorem, vastissimi Operis molem exstruendo, Mausolæum dictam; nisi hic ipse Nummus, (23. magnitudinis) in Perigraphe, vittatum Reginæ caput ambiente, hæc habens, ΑΡΤΕΜΙΣΙΑΣ (non ὄρθμ - - - -) ΒΑΣΙΛ - - - - perspicacissimo *Cupero, in Explicatione Numismatum Antiq. (quæ annexa est Apotheosi suæ Homericæ) pag. 236.* malæ notæ ac supposititius censeretur.

Quapropter calamum tandem â Scriptione retraho; atque sat commonstrasse ratus, quàm parum præsidii ex Antiquitate illis relictum sit, qui in Contextu Sermonis Græci, Literis, tanquàm Columnis & Parietibus, ὡδαλλήλως, ad Eumetriæ Regulas erectis, irregulares imponunt *Spirituum* & *Apostrophorum* Eminentias, tanquam μορμολύκεια totidem; vel diphthongificum *Iota*, positæ in apricum Vocali, tanquam Tignum inutile apponunt; vel in sublimi, ac longè supra Grammatū culmē importunè volantes *Accentuum* Striges constituunt; vel submuralia demum Spectra ac Lemures, specie *Iota Subscripti*, ipsismet (quàm nitidissimæ etiam) Structuræ Fundamentis, & Saxis angularibus supponunt. Id quod solum sufficeret, quemvis genuinum Græcæ puritatis cultorem, si Rationum Scopæ & Everricula nil præstent, ad furcam Satyricam postremò arripiendam compellere, quò suum veruntamem decus ac jus, suaque â tot Seculis amissa Sedes Antiquæ Gloriæ, sarta est integra restituatur.

Bene

Bene Vale, *mi* HUDEMANNE, & ſiquidem prolixitate præſentis Epiſtolæ forſan displicui, fac fallendi tædii ergò, ſi placet ac vacat, duod post Curas Animarum, & laudabiliter educandæ Prolis, *Tibi* factu dulcisſimum eſt. Hoc eſt, Oculo non minùs, quàm Animò Curioſo, ad Scrinia Tua, erectis Heroum Tropeis, Armis, Imaginibus, Statuis, Columnis, Roſtris, Quadrigis, Victoriolis aurigantibus, Ampullis, Lituis, Aris, Templis, Theatris, Circis, Naumachiis, Venationibus, fulgurantia, emetiendasque ex his non minùs Imperatorum, Regum, Belli Ducum, Conſulum, Triumvirorum, quàm Philoſophorum, Fœminarum illuſtrium, & Rhetorum, Res cum laude geſtas, omnemque adeò Veteris Ævi Historiam, incorruptim ac lætè in triplicis generis Metallo, à plusquam viginti Seculis ſpirantem, paulùm redi. Scribeb. Kiliæ, ultimo Maji, A. C. 1685.

Post-Scriptum.

QUoniam tam in Appendice hac, quàm prægressâ majore Epistolâ, diversæ *Magnitudinis Nummorum* mentio sæpe facta est; ideoq; placuit Schema, Triginta & duarum *Diametrorũ* subnectere, quibus totidem Magnitudines Numismatum orbicularium denotentur, ut Mensura eorum, de quibus egimus, inde colligi possit.



SERIES

Disſertationum Nummographicarum, cum quibusdam, de Gemmis ſignatis.

* * *

Prodierunt:

I. *De Nummis Rhedigerianis Deſiderium*, cum Declaratione eorum, quæ in Studio Rei Nummariæ ſupplenda adhuc videntur. Kiliæ, in 4to Anno 1681.

II. *De Nummo Regis Oddonis* (Saxonici) Conjectura: ibidem in 4to A. 1682 & 1683.

III. *Romæ, in Nummis Augustalibus Germanizantis*, Pars prior. Ibidem, in 4to A. 1684.

IV. *De Nummorum Ærugine*, Conſultatio Epiſtolica, ad Illuſtr. Virum, Ezech. Spanhemium. ibid. in 4to A. 1684.

Prodeunt jam,

V. *De Nummis, Græcè inſcriptis, Accentuumq; in iis abſentiâ*, Epistola: ibid. in 4to. Anno 1685.

VI. *De Jotorum Subſcriptione ſuſpectâ, eorum-*

eorumq, *ex Nummis Græcè inscriptis*, *Exilio*, Appendix, jam dictæ Epistolæ annexa.

Hinc prodibunt.

VII. *Romæ*, *in Nummis Augustalibus Germanizantis*, Pars posterior.

VIII. *Monstri larvati*, *in Sardâ sculpti*, Consideratio.

* * *

Prostant Kiliæ Holsatorum, apud *Joh. Sebastianum Richelium*, Academiæ Bibliopolam.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823230139/phys_0110
DFG

1, fol. 7. p. 360. Rupf. 5.
2, 1 Kl. Rupf. fol. 4. p. 136. Rupf 29.
3, fol. 3. p. 50.
4, pag. 100. fol. 1. Rupf 2.
5. pag. 87.
6, pag. 16.
7. fol. 4. pag. 141. fol. 1. Tabelle 1.
8. pag. 80.
9. fol. 18.
10. pag. 36. Rupf 1.
11. pag. 56.
12. pag. 24.
13. pag. 16.
14. fol. 10.
15. pag. 50 und 23.
16. fol. 4. pag. 21. fol. 1.
17. fol. 10.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823230139/phys_0117
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn823230139/phys_0118
DFG

ewesen: Daß es unvonnöhten gewest selbige
r Müntze zu schlagen / daß sie nur von wenigen
Derhalben uns bewust ist / daß die Schmel-
gs zwar gantz neu / die eingedrückten Figuren
inem alten Buch oder Gemählde einer Kirchen
Dergleichen wir heut viele sehen in den Edelge-
rab- oder Bildwerck / aber von sehr altem
ns von den Bildern selbst handelen. Hier höre
nten Mann den Abraham Ortelium, welcher
nden Käysers / als nicht frisch noch neu / lobete /
rten Theil einer Verfälschung verdacht hielte.
gentheil und urtheilen / daß der Inhalt des an-
heils viel älter sey / als jenes des reitenden Käy-
ntermachte Steig-Bügel / und gantzer Pferde
üge entdecken und offenbahren / wie neu dieses
ndern Theils Stamm-Bilder können mit ei-
läret werden. Ehe wir aber zur Erläuterung
daß bey den alten Christen unterschiedene Ge-
k-Sprüche oder Merck- und Kennezeichen nach
Zeiten und Unterscheid der Nationen / seyn gewe-
enheit der Zeiten ließ zuerst kein Menschen-Bild-
Dinge zu: Hernach wurden auch Menschen-
t. Die Morgenländer hatten andere / andere
dischen Kirchen / in welchen kein Symbolum oh-
nicht in den Morgenländischen war. Aber in
n Kirchen setzte man ein Creutz mit Menning oder
Christi vergossenes Blut damit anzuzeigen. Oben
Spitze des Creutzes ging herum eine Krone o-
rpurrohten Binden oder Schnüren umgewun-
gtem Palm-Baum. Beides war ein Sieges-
/ daß man dieses Leben und die Welt überwun-
g-gepranget / oder die Märter Krone erlanget
r anfangs des Creutzes schlechter und einfältiger
h / als man des Arrii Gottlose Lehre erstritten
an das Geheimniß der Heiligen Dreyeinigkeit
Ott den Vater bezeichneten die aus der Gold-
nden Wolcke heraus brechende Worte: Diß
hn. GOtt der Sohn ward im Bilde des
Lam-